Historia urbium in Polonia,
Leopolis

Zimorowicz Bartholomaei: Leopolis
Russiae metropolis. etc


Cracoviae typis Universitatis.
1693.

# LEOPOLIS
## Ruſſiæ Metropolis,
à
## Turcis, Tartaris, Coſacis, Moldavis,
Anno M. DC. LXXII.
hoſtiliter obſeſſa,
à
# Deo mirificè liberata,
*PER*
BARTHOLOMÆVM ZIMOROWICZ,
Conſulem eiuſdem
SCRIPTA.
*& A*
M. JOANNE STANISLAO MOSCICKI,
In Alma Univerſitate Cracovienſi,
Philoſophiæ Doctore & Profeſſore,
In lucem publicam,
DATA.
Anno Domini 1693.
*Permiſſu Superiorum.*

---

CRACOVIÆ, TYPIS VNIVERSITATIS.

In tres Colles Stellâ insignitos à SIXTO V. Pont. Maximo Civitati pro Stemmate datos.





Collibus in ternis Cives triplicate triumphos,
Hostibus æquè tribus ferte trophæa tria.
Nam super hos Colles Stellâ vincente MARIÆ,
Obsessus Leo ter, terq; solutus ovat.

*Iosephus Zimorowicz.*

# CORONA TRIUMPHALIS,

*Pro Heroica inter Obsidionales angustias virtute, & invicta animi fortitudine, Urbis Leopoliensis, Patriæ suæ charissimæ,*

Nobilibus, & Spectabilibus ejusdem Urbis

CONSULIBUS,

*Nobili, & Spectabili Domino,*

JOANNI de L. Ryppa UBALDINI,

*Nobili, & Excellenti Domino,*

ANDREÆ SZYMONOWICZ,

Philosophiæ & Medicinæ Doctori, S. R. M. Secretario.

*Nobili, & Spectabili Domino,*

ALBERTO KUPINSKI,

S. R. M. SECRETARIO.

*Nobili, & Spectabili Domino,*

ALBERTO OZGIEWICZ,

*Nobili, & Excellenti Domino,*

JACOBO MOSCICKI,

Philosophiæ Doctori, S. R. M. Secretario.

*Nobili, & Spectabili Domino,*

DOMINICO WILCZEK,

S. R. M. Secretario, & Assessori Iudiciorum eiusdem S. R. M.

*Nobili, & Spectabili Domino,*

PAULO KOZŁOWSKI,

*Nobili, & Excellenti Domino,*
BENEDICTO WILCZEK,
Philoſophiæ & Medicinæ Doctori.
*Nobili, & Spectabili Domino,*
MICHAELI ZLOTOROWICZ.
*Nobili, & Spectabili Domino,*
THOMÆ GORDAN.
*Nobili, & Spectabili Domino,*
CASIMIRO WILCZEK,
S. R. Maieſtatis Secretario.
*Nobili, & Spectabili Domino,*
THOMÆ BELLI.
Nec non Nobilibus, & Honoratis
Collegij Scabinalis Iudicibus;
Ordinibus, & Nationibus eiuſdem Inclytæ Vrbis,
DD. & Patronis Faventiſſimis;
cum Applauſu ad Opus Hiſtoricum, eruditi calami,
*Nobilis olim, & Spectabilis Domini,*
BARTHOLOMÆI ZIMOROWICZ,
CONSVLIS LEOPOLIENSIS,
*Ab eodem.*
M. IOANNE MOSCICKI, Leopolienſi,
Cultu, & affectu gratulatorio
DICATA.

# ODE GRATVLATORIA.

SIdus Trionis nobile Roxici,
Spartana prolis belligeræ Parens,
Sedes Leonis, & Poloni
Delicium, columenque Martis,
Vernans corymbis Vrbs viridantibus,
Medulla doctæ Palladis, & ſimul
Cor dulce, cor viuax Gradiui,
Odryſijs generoſa Thracum,
Bellona vinci neſcia motibus,
Pontoque maior, deque Borijſthene,
Volgaque calcato triumphans,
Fulmineis metuenda telis;
Laurus perennes, milleque gratias,
Poſt tot cruenti tunè mali vices
Necdum mereris? cûi Gelonus,
Cum Rhodope, Tanaique victum
Submittit Hebrum totaque dùm ſtupet,
Herbam Propontis, Turcica porrigit,
Confeſſa victorem Tyrannum,
Marte tuo potuiſſe vinci.
Pelaſga quidquid, cum Latio tulit,
Heroa Virtus nominis inclyti,
Tu ſola bellorum per omnes,
Iure potes meruiſſe caſus.

In te

In te rebelles Coſacicus furor
Effudit iras, cum rabie truci;
Offamque te primam voraci,
Expetijt Sceleratus ore;
Sed cùm moloſſi nil ſcythici valent,
Cum plebe ſæua ringitur, & dolet,
Coquitque dyras intùs acres,
Chmielnicij caput hêu pudendùm!
Seruile ferrum, quod nequijt tuis
Hæſiſſe fibris; quodque tot hoſtium,
Obſeſſa centenis, feroces
Sic poteras ſuperâſſe Beſſos.
Rursùs ſceleſto Moſcua ſpartaco
Coniuncta, Martem ſanguineum ciet,
Arceſque turritas Leonis,
Obſidio premit arctiori;
Aſt rursùs atrox bellua vincitur,
Quaſſata crebro fulmine, dùm magis
Aſſurgis, ex binoque rursùm
Marte, nouum geminas triumphum;
Inuicta victrix Vrbs Leoburgica.
Thrax Cameneco Machometes dein
Potitus, vt glutire poſſet
Te quoque; barbaricos hiatus
Immanè pandit. pro Superi quid hîc
Non

Non paſſa! quid non ſanguine depluens,
Igniq́ue conſumptum tuliſti!
Sed tamen intemerata Virgo;
Te nulla Thracum dùm tetigit manus,
Terni Coronas obſidij ferens,
Sic tum coruſcâſti, vt coruſcat,
Tergemino tua ſtella monte.
Virtutis in te quantus erat ſtupor!
Quantumq́ue Martis robur, in arduo
Rerumq́ue, fortunæq́ue caſu;
Quando ſpei ſupereſſe mica
Vix vlla viſa eſt; proh dolor omnium
Nutante fato; viſcera lancinat
Polona, dum mali latentis,
Peior eò, quia motus intra.
Vis inde maior Threicij Ducis,
Ingenſq́ue faſtus; dùm ſine ſpe quatit,
Circumſtat, vrget, cêu profundo
Sanguinis, Odryſioq́ue rictu
Mox hauriendos. cùm ſuperemines
Vinciſq́ue magni robore ſpiritus,
Tu ſola cordati Leonis,
Vrbs, triplici ſpecioſa Lauru.
Hoc eruditâ ZIMOROWICZ manu,
Styloq́ue de te ſcripſit eburneo;

Quod

Quod Consul, armorumque Præses,
Par animo, calamoque suppar,
Inter Gelonum vidit acinaces,
Inter boantûm mille tonitrua,
Globosque sensit machinarum,
Cum Patria, populoque Victor.
Inuictus illi, quam genius fuit;
Tam penna felix, seria, mascula,
Victura posteris in æuum,
Historicis memoranda fastis.
At Vos Leonis Roxolani Patres,
Quos Consularis gloria fascibus
Sublimat, æternùmque nomen
Ferre iubet trabeata Virtus;
Quod luce tanti depositum Viri
Donâstis, Indus gemmifer ambiat,
Gangesque tot gazis inundet;
Quot liber hic pretiosa claudit
Sallustianæ munera gloriæ,
Altosque sensus; scriptus vt aureum
Caput triumphalis Corona,
Cara mihi Patria, orbe coram
Tuum coronet; quam tibi dedico,
Et filialis cor simul offero
Amoris; vt pulsus per omnes,
Dulce tibi canat Io Viue. OBSI-

# Amplissimi Ordinis Hypathici, NOBILISSIMIS VIRIS, DD. CONSVLIBVS CIVITATIS LEOPOLIENSIS, COLLEGIS meis observandissimis.

*NOn diù mihi ambigendum fuerat, cuinam Leopolim Patriam mihi Vobiscum communem, è manibus Turcarum postliminiò recuperatam, iterùm redhiberem; nisi à quibus eam Iure fiduciario tuendam susceperam. Prout Superis propitijs vota nostra secundantibus, officio fidei cõmissarij probè functus, Rempublicam Ciuilem â vobis peregrè proficiscentibus turbatam, apud me relictam, reducibus Vobis pacatam reddidi; simulq; cum ea templa Cælitibus, Curiam Ordinibus, Fasces Consulibus, Penates Conciuibus, agros cultoribus, bona fide restitui; adeò vt nemo vnus repertus fuerit, qui mihi dicam repetundarum diceret. Neq; ad præsens multùm mihi deliberatò opus esse existimo; ad cuius ærarium rationes villicationis meæ relaturus sim, præsertim crepero belli tempore; quot globos Turcicos in acceptis numerauerim? quot Vrbicos in expensis regesserim, pluresne Centenarios pulueris pyrij, an modios milij ex horreo publico consumpserim? quot Leunculis Belgicis Leonem gentilitium, à plagis Otho-*

m ani-

*manicis vindicauerim? per quos Obsides pignori datos, obsidium Ciuitatis soluerem? horum etenim, similiumq; negotiorum in Prouincia mihi decreta gestorum, tabulas à me confectas, nulli alteri tantùm Vobis; è quorũ manibꝰ procurationẽ eius acceperã, obligatũ me exhibere sentio, Suscipite ergo codicillos partim rationarios, partim historiales; in quibus non minùs boni Ciuis, quàm veridici scriptoris partes explere allaboraui. Non vt apud Sannasarium.*

Dùm laudat Patriam, dum damnat Pogius hostem;
Nec malus est Ciuis, nec bonus Historicus.

*Si quid autem in eis rationibus magis, quàm auribus accomodatius annotatum occurrerit; præcipuè quot propugnatores in abaco militari nũerãerim. Quot aduentitios domesticis addiderim; quot pauor animas, occulto flagello feriens subtraxerit Vrbi, qualiter infrequentiam defensorum, aureâ regulâ multiplicauerim? quæ dissensio vnius, instituta municipûm, studia in contraria diuiserit. Hæc aliaq; non supputationi, cuius summa aliter constare non poterat, neq; etiam historiæ, veritatis pedissequæ; sed potiùs rebus gestis imputabitis. Speculum enim fidele debet esse historia, non mimica histrionia; speciesq; æquori suo oppositas, æquali numero & mensura, non autem monstra suis maiora, minoraue notis repræsentare. Proinde distortis suis oculis strabones, potyposis naribus silones, anilibus rugis vetustinæ debent succensere; non vitris Crystallinis, vitia eiusmodi ad vi-*

num

*vum reddentibus. licet pictoribus, suis quemq; coloribus depingere. Ego hanc quoq; licentiam mihi denegaui, cùm sæpissimè pro nomine crimen, nunquam pro crimine nomen posuerim. Longùm etiam mecum muginatus sum, expediretne mihi more cucullorum nomen proprium coccyzare, eundemq; rerum Actorem, & Auctorem esse, gnarus præsertim nostratibus, fumos alienos, domesticis ignibus clarius lucere; nihilq; palato illorum, præter exoticum arridere. Iamq; nauseam eorum, in duabus prioribus obsidionibus, ab aliquot lustris, tineas, blattasq; apud me pascentibus expertus, ne tertia quoq; in tabaci, piperisq; cucullos abiret, verendum mihi esse putabam. Diu itaq; Romanum Sallustium, vel conterraneum Liuium, præsertim è grege literatorum nostratium expectabam; qui diarium obsidionis istius posteris traderent; saltemq; Athenienses Athenis ( quod factu facillimum ) collaudarent. Postquam autem biennio euoluto, nostrates Tacitos tacere, extraneos Silios silere, literatores autem vniuersos consonantium literarum Cantores, non mutarum scriptores esse comperissem; interim autem commentaria commentitia vmbratilium scriptorum, tragædiã hanc per transennam ab alto spectantium, necnisi in mundo subterraneo procul à Ioue, eiusq; fulmine, strepitus Turcicos numerantium diuulgarentur; Martio stylo ad postes Herculis suspenso; phœbeum reassumpsi, illoq; hymnum Cælitibus, mala ab Vrbe delecta DEO auerruncantibus panxi. Quem in superliminaribus portarum Vestrarum, fronteq; cu-*

riæ, cubitalibus literis libenter exararem; vt ab æuo inauditi beneficij Diuini, æuiternam posteris inculcaret memoriam. Profectò à condita Leopoli, nihil ei grauius gratiusq; accidere potuit, supra hanc prodigiosam è manibus Turcicis manumissionem. Præteritæ binæ incursiones veriùs, quàm obsidiones Ciuitati intentatæ, velut ludicra certamina, decretoriæ huic pugnæ præluserè; siquidem Cosaci, Moldaui, Transyluani, alijq; grassatores, reliquias dissipati exercitus persequentes, Léopolim fortuitò adorti, sine paratu machinali, bombardisq; poliorceticis, redimias non deditionem eius vrgebant. At Turci consulto animo, armis, viris, instrumentisq; bellepolitanis abundè instructi, noctes atq; dies fulminantes, missilibus, assultu, cuniculis, potestatis suæ Léopolim facere nitebantur. Tandem Domino Exercituum pro Incolis eius, nomini suo militantibus, pugnante; barbari exiguo pretio, vixq; sesqui millenos globos in Ciuitatem explosos adæquante, deliniti, inglorij abierunt. Tam singulare ostentum dexteræ Diuinæ, in omnium calamis viuere dignum, meum quoq; capularem ad enarranda mirabilia Domini compulit. Cuius ego narrationē, tanquā fetū effetæ ætatis meæ, ad manus Vestras depono; vt saltem eodem fauore, quo expositios infantes prosequi soletis, meum quoq; partum proiectum excipiatis. Quem vbi monstrosum comperêritis, permissu legum supprimite: sin autem vitalem iudicaueritis, mansuris animare figuris dignemini.

# OBSIDIO.

LEópolim Rusſjæ Metropolim tertiò iam hoſtiliter obſeſſam, tertiò quoque diuinitùs liberatam narraturo mihi, quò planiori via ad notitiam legentium decurrat mea narratio, pauca de belli inteſtini concitoribus Coſacis, rebellione illorum, & in Turcicam clientelam tranſitione præmittenda ſunt. Et ne longiùs à propoſito abeam, confinia Ruſsiæ ad oſtia Boryſtenis in Euxinum ſeſe exonerantis, per longè ſpatioſos campos exporrecta, Vkraina dicta Iuris Polonici ſemper fuerunt. Quæ quidem primitùs proventu agrorum, & fertilitate glebæ fecunda, nunc in ſuis ſulcis legiones dentibus aduncis cum clijpeis gignunt, quæ horrida bella capeſſunt. Ruſticos videlicet eiuſdem terræ filios ex ſe natos Bucolicos ſine pompa milites, in Tartaros terrâ, in Turcas mari, gratuitos bellatores, omnes autem inter ſe pares per ignobilitatem, Coſacos non à pernicitate caprarum, vt potè pedites; ſed potiùs ab importunitate muſcarum Kozaka, idiomate Ruſsico nuncupatam cognominatos. Quorum vnuſquiſque hac gerit arma manu, quâ colit arua manu. Hi itaque imperia herilia, angariaſque agrarias

 ſubter-

ſub terfugientes, dùm relictis laribus colonias vltra Kiioviam, Braclaviam, & Barium in novalia habitatoribus vacua, quot dies promovent, & deſerta adeſpota primi occupant, multos ſuæ farinæ contribules, nec pauciores aduenas, è ſabuloſis Poloniæ fundis vbertate ſoli illectos ad ſe pellexerunt, ſimulq; Tartaros orbis Prædones (qui niſi de rapto viuere turpe putant, vt cecinit Naſo Tomitanæ quondã incola terræ,] ipsâ vicinia ad diripiendos agros ſuos inuitârunt, Cum ergo Tartari per duo prope ſæcula, agellos illorum quotannis decimarent, Reſpublica autem Polona, nulla præſidia illis opportuna ſubmitteret, ipſi agreſtes naturâ magiſtra repellere vim vi edocti, arma in publicos Latrones ſumpſerunt, & in defenſionem ſui maſculè coorti ſunt. Quoniam verò teſtante Poëta.

*Inter Finitimos vetus atq; antiqua ſimultas,*
*Immortale odium, & nunquam ſanabile vulnus,*

Ineſſe creditur. Præterea limitaneos populos, ad ſimilitudinem animalium extremas partes corporis, vnguibus aut vngulis exaſperatas habentum, pugnaciores mediterraneis plerùmque euadere, frequentiaque pericula à conterminis impendentia audaciam finitimorum certum ſit acuere; breui tempore volones illi non modo tuguria ſua ab Harpijis Scythicis tueri; verùm etiam mapalia illorum pedida inuadere, ferro & igni demoliri auſi ſunt. Exinde dulcedine prædæ ineſcati, non ampliùs terram verſare, aut ſubſidia uitæ ſudore acquirere, quæ compendioſiùs ſanguine parare poterant, ſtatuerunt. præſertim ruſticana iuventus Mołoycy vernilitèr vocati, à raſtris ad arma verſi, nunc per deſerta camporum feras ſectando, nunc capturâ piſcium fluvios rimando, vltra cataractas Boryſtenis Porohij

Scla-

Sclavonice nominatas delati in eiusdem fluminis interamnicis Insulis, (quas ille septuaginta alluit) de canna, straminibusque casis constructis, publicum asylum sibi, omnibusque flagitiosis, proscriptis, apostatis, aperuerunt. Siquidem Borysthenes quondam mercator, tum bellator, illorumque receptator fluvius supernè per abrupta decurrens, infernè multis ostiis in Euxino emoriens, tutos loco à Dominis quorum manus effugerant, & à vicinia hostium reddebat. Quapropter ad contubernium illorum veluti Poniropolim Philippi, purgamenta villarum, oppidorumque quotidie cateruatim conuolabant; ita vt breui in vastum exercitum excrescerent, totumque illum tractum mundi fæce replerent, noua Sylua illa latronum sine Rectore & disciplina [ cùm & Prædones e præscripto grassentur) degeret. Ductorem è corpore suo Ostaphæium Daszkowicz terrâ marique Nobilem grassatorem sibi præfecit. Qui non rudis bellandi, multitudinem illam inconditam per legiones, Cohortes, Mánipulos, Centurias digesit; chiliarchos, Centuriones, Optiones, Signiferos, Circitores constituit, omnes autem fistulis fulminatricibus, armatos esse iussit, hiberna & æstiva in vna Insularum Borysthenidarum Tomakonska assignavit; super qua vt perpetuò stabularentur præcepit. Novum de plebe militiæ Zaporohitanæ ordinem fortuitò institutum, neque Respublica Polona improbauit, imò verò gratuita eius opera in bellis Moschoviticis, Cosacicis, Turcicis, vsa est, ita vt sæpiùs pugnantibus Russis, Poloni victorias obtinerent; Præsertim autem contra hereditarios Prouinciarum suarum hostes Tartaros, Excubitores Riparenses Cosacos habere voluit. Subinde & Reges Poloniæ virtutem illorum Martiam, equestribus Ni-

ceteriis ornârunt. Sigiſmundus 1mus Authorem eius Sectæ Daſzkouicium, præfecturâ Cercaſi, 1541. A. D. auxit; Stephanus Bathoreus Trethimirow Caſtellum ad reponenda belli inſtrumenta illis conceſsit, Reſpublica denique hydram illam multicipem auro magis, quam ferro edomare cupiens, ſtipendiariam ſibi fecit, ſex mille ſelectioribus in album Polemicum relatis, & ſtipe exigua auctoratis. Quod quidem Comitiale inuentum Diuino potiùs, quam humano conſilio confectum eſſe videtur. Vt enim Conditor vniuerſi, cuilibet veneno antidotum præſens prouidit, ita vt quo loco ſerpentes, ibidem & Ciconiæ nidulentur, ſimiliter Tartaris Eteſiis incurſibus, Prouincias vicinas vindemiantibus, Roxolaniam Sobolis militaris parentem oppoſuit, malo modo, malum cuneum; ita vt quoties volucres [prout à Lucano vocantur] Geloni, aut in equis habitantes, Getæ, procella equeſtri cuſtodias limitaneas fefelliſſent, Vel ob pernicitatem equorum manus Coſacorum (quibus omne in pedite robur] inulti euaſiſſent; Coſaci vt par pari referrent, nunc equitiis eorum pabulantibus interceptis; aliquando Taurica Cherſoneſo rapinis & incendiis deformatâ, graſſaturas barbarorum caſtigabant. Per multos igitur annos,

*Ruſſia Barbariæ lento colliſa duello,*

TVrcis iuxta ac Polonis ſpectaculo fuit, duarum gentium mutua latrocinia à longè ſpectantibus, in bellum tamen atrox eruptura aliquando diuinantibus. Nec eos animus ſuus cuique vates fefellit. Quandiu namque Coſaci damna ſibi per Tartaros illata, intra ſolum hoſtile vindicabant, Turci ad cædes & querelas clientum ſuorum, dentibus quidem fremebant; manibus tamen immotis perſiſte-

bant.

bant. Postquam autem Borystonii cum Donensibus pyraticis myoparonibus Pontum ingressi, emporia Turcica, Varnam, Tehyniam, Kozłoviam, Oczakoviam, Belgradum, Theodosiam, Synopem, Trapesuntum evastassent, omnibus autem maritimis Asiæ Ciuitatibus terrorem nominis sui incussissent; Tartaros quoque plusquam lupos [ teste Poëta ] sæuæ feritatis habentes, in propriis Sedibus excindere cæpissent: Turci velut Oestro perciti, neruos potentiæ Othomanicæ succidi, Maiestatem Orientalis Portæ fœdari, per homines, uix nomine dignos, palam fremere, tacitè vindicias & vltionem coquere. Nec mora, omnium Hordarum Reguli clasico exciti, vt in media Polonia Tartariam sibi facerent; Skinder Pasza cum numerosis copiis in excidium Regni iterato missus 1618. 1621. nouissimè ipse Osmanus velut Xerxes rediuivus Quadringentis Millibus bellatorũ succinctus, ad delendum nomen Poloniæ Chocimum vsque progressus est; vbi post multos Sanguinolentos conflictus, quia non uicit, pro victo prior acie excessit. Post quæ experimenta virium, quoniam Mauors tectus pelle Leonis successum Turcis non addixisset, ad artes vulpinas versi, in omnibus congressibus, legationibusq; amicitiam Reipublicæ Polonæ sublatis Cosacis talem spondebant; qualem lupi opilionibus post abactos vigiles canes in Apologo Demosthenis, sunt polliciti. Quæ quidem fabula versa in historiam, res Polonorum funditùs afflixit. Etenim consilium hosticum secuti, dum in singulis Comitiis edicta feralia contra Cosacos cudunt. Cosaci verò fiduciâ animorum, non modo iugum, sed ne frenum quidem accipere volunt. Decreta Comitialia ferro rescindere, audactèr præsumpserunt. Hinc questus Ordinum, &

remedi-

remedium nonnisi ex bello deplorando magis, quàm memorando; siquidem nunquam aliàs tantùm damni, cladis, ignominiæque Regnum Sarmaticum accepit; quàm ex hoc Seruili temerè suscepto, inconsultè gesto, & in Vigesimum Sextum annum protracto bello. Quippe Polonia tot vrbibus, Castellis, Pagis mutilata, tot gregibus fœminarum, iuuenumque fecunditare sua & indole vires hostium aucturis diminuta; tot exercitibus, & in illis ferocissimo quoq; prostrato truncata, Podolia citeriore, vlterioreque frugum & sobolis militaris parente mulctata, quid aliud pleno ore loquitur? nisi Aquilam suam, à graculis deplumatam, ab vlulis exanguem redditam, à Scarabæis ignominiosè tractatam; florentissimam autem oram Russiæ, melle & lacte quondam diffluentē, nunc sanguine & lachrymis mersam suis. Verum vt omissis lamentis ad propositum redeam. Postquam visum Ordinibus, ad votum Turcarum Cosacos interneciuis armis prosequi, excursionibus piraticis Borysthene prohibere. Cosaci in ferrū pro libertate ruentes, multis annis multa passi, plurima ausi tandē assiduis præliis lassi, auxilia externa suspexerunt, hostes Polonis per totum orbem quærentes; Nec longè quæsitos homines, in ventre necandos Tartaros conciliatore 1648. Bogdano Chmielnicki, rebellionis præsentis Antesignano inuenerunt, Is pudendæ originis, animo versatili, postquam diu ob rusculum sibi ereptum, cum potentiore litigasset; per Comitia Regni, & conciliabula Cosacorum Herediolum illud Naboticum ablatum sibi quiritari cessasset, vt silentio facinus pensaret, neci destinatus, manus percussorum fefellit. Cumque nullibi tutum receptum in Russia haberet, continuato itinere diu noctuque ad vsitatum maleficorum portum,

claustra

claustra videlicet Borystenia properans, fortè Tochay Begum in campis Budziacensibus stabulantem, & quocunque occasio vocaret, prædatum excurrere meditantem offendit. Hunc capitalem sui Osorem partim promissis, partim lachrijmis ad commiseratione, defensionemq; sui impulit; & quia inter malos facilè conuenit, etiam ad societatem belli Rustici pertraxit. Ex tam minuta scintilla prædioli violenter erepti, tantum incendium treisis homuncio excitare potuit; quod hucusque tota Polonia neq; largis fletibus, neque multo Sanguine extinguere potest. Verùm toties malè sopitum in maius assurgere videt. Nos quoque progressum eius vlteriorem videamus. Postquam igitur fax & incentor motûs Rusici Chmielnicius, iuventutem totius Vkrainæ, quâ precibus, quâ similitudine fortunæ, quâ spe libertatis omnium sub eodem iugo gementium, in vnum cumulum exciuisset, roburque militiæ Zaporohianæ pedestre, equestribus turmis scythicis coniunxisset; Quingentis pugnatorum millibus stipatus, per cadauera Exercituum ad Corsunum cæsorum, per stragem Oppidorum, Pagorumque ad decutiendum caput Rusiæ Leopolim venit, illamque non aggere cespititio, verùm densâ turbâ latronum vndequaque cinxit. Vnico tantùm effugio obsessis ad superos relicto. Ad quorum aras supplex Ciuitas prouoluta, multos ex eis Commilitones, pro muris dimicare visos, in subsidium suum euocauit; hisque suppetiis firmata, vindicias iuxta libertatem obtinuit. Quâ obtentâ fortunis licet Ciues truncati, ad omnes tamen Lipsanothecas illorum, tabellas naufragii sui indices suspenderunt. Talibusque charisteriis fauentiores sibi cælites in posterum reddiderunt. Septennio enim evoluto idem turbo

bo Rusiæ Chmielnicius repudio Tartaris Rusiam plusquam locustæ depascentibus dicto, Septemtrionis 1655. Dominatorem Schismaticô cognatione sibi deuinctum suspexit. Quasi assuetus magnis Idiota dictis Lucani illud legiset.

*Omnis in Arctois populus quicunq; pruinis*
*Nascitur, indomitus bellis, & mortis amator,*
*Quidquid ad Eoos tractus mundiq; teporem*
*Labitura emollit gentes clementi, cæli.*

Neque arduum fuit Chmielnicio Moschorum Principem pari odio in Polonos, eodemq; Schismate laborantem ad societatem armorum vtrinque victricium pertrahere, Iam enim ille toto septemtrione contra Poloniam armato, Seueriâ recuperatâ, Lithuaniâ sub iugum acceptâ, Monarchiam vniuersæRusiæ à fatidicis sacrificulis Sibi promissam, animo coquebat. Chmielnicius autem ipso congestu hominum, equorumque Australem Rusiam calcatam, velut appendicem Moschouiæ adijcere, & vectigalem facere promittebat. Vnde Moschum facilè illuc impulit, quò dudum animo propendebat; vt sine mora ad subigendam reliquam Rusiæ portionem;cum Prolegato suo Basilio Wasilewicz, LXXM. Bellatorum mitteret. Quorum in numero multi Peregrini è Suecia, Anglia, Hybernia, Germania, Liuonia, sub signo euocati merebant. His omnibus pro Chmielnicio manus conferere, Moscho autem vincere in mandatis datum;Chmielnicius quoque his copiis immensam volonum Rusicorum multitudinem è Cosacis, villarumque purgamentis in vnum chaos conflatam addidit, tantique exercitus è seruo Imperator versùs Poloniam mouit. Cuius terrore obuia quæquæ Castella, vrbesque afflatæ, fortunam Chmielnicii. Sceptrumque Mos-

chicum

chicum sponte adorauêre. Sola Leopolis vtrique collum submittere detrectauit. Temeritatem hanc non constantiam hostes interpretati, plùs vnam Ciuitatem, quàm totam Russiam audere, neque securè integram Prouinciam nondum freno capiti eius iniecto, possideri reputantes, in secundú 1655. mensem obsidioné continuârunt, quotidiè Ciuibus vniuersam Poloniam potestatis suæ factam, subsidia ob Regis fugium, Exercitusque dissipatos nulla, necnisi de cælo ventura exprobrantes. Verùm Leòpolis in vltimum obstinata, nullo ariete tam mentibus quàm mænibus suis admoto, adduci potuit; vt lubricæ Moschorum fidei caput subderet; quinimo inter mille discrimina, integritatem fidei omnibus periculis, damnisque prætulit; quâ felici portinacia, exercitum illum Heterogenum, fame, illuuie, inclementiâ cæli autumnalis, in secundum mensem maceratum, ad inferendam vastitatem Regno inhabilem reddidit. Denique offa Cerberis obiecta, missionem sine vulnere, famæ obtinuit. Quæ omnia seorsiuis Commentariis, adhuc in ouis Ledæ apud me delitescentibus recensui. Nihilominùs tertiam obsidionem Turcicam prioribus formidolosiorem aggredior.

Postquam igitur Ordinibus Regni fulmen in Barbaros cælitùs destinatum, im viscera sua conuertere, Cosacos videlicet Bellatores, ad votum Turcicum Aratores facere sententia stetit; nimirum.

*Bella geri placuit, nullos habitura triumphos;*
*Heu quantum terra potuit, pelagiq; parari,*
*Hoc, quem Ciuiles hauserunt sanguine, dextra.*

Cosaci per assidua certamina viribus; numeroque diminuti, pars maxima in præliis cæsi, pars ad Borystenias

Moschicas ditiones dilapsi, reliqui ad incitas redacti, nefunditùs interirent; Acheronta mouere præsumpserunt. Quapropter ritu veneficorum, eiurato verò Numine, Antitheis sese mancipantium; post varios dominantes, in clientelam Othomanicam concesscre; perire etiam, dummodò æmulos perderent, non recusantes. Caput istiusmodi consilii Petrus Doroszenko, non vno culeo, & cruce dignus homo. Hic in perniciem Reipublicæ multos in pectore ferens Chmielnicios, quò proniorem fiduciam apud Imperatorem Turcicum sibi conciliaret, liberos suos ei in obsides misit; neque ille diu cunctatus, nociuos multùm ditionibus suis prædatores, à quibus occasum imperio suo, per ariolos Machometicos ab Aquilone prædictum metuebat, in patrocinium suum obuiis vlnis suscepit, suppetias se quàmprimùm laturum promittens; amicos sibi tali obsequio, quos hostes ferro domare non poterat facere certus. Visitatum quoque Turcis, è discordiis Christianorum incrementa sumere, more Romanorum; qui socios protegendo, opemque supplicibus ferendo, Dominos Orbis se fecerunt: ita hodiè Turci sub specie auxiliorum sibi vincentes, maiorem partem orbis potestati suæ subiecerunt. Interim Turcicus Imperator Wysocium Regni Prolegatum, diu Constantinopoli contemptim habitum, sine vllo responso dimisit, altero autem mense Fecialem, cum denuntiatione belli in Poloniam expediuit. Verùm vt præter humana commenta, æternæ etiam mentis placita introspiciamus; è quorum sacratis sanctionibus, Conditor Vniuersi, neminem mortalium deserit, priusquam ille se deserat, vndè quo tempore Græcia à Vicario in Ecclesia Christi capite, sese sub

sub

ſubduxit, è Veſtigio vltor huius ſeceſsionis DEVS, caput Præcurſoris [venia ſit dicto] Antichriſtj illi impoſuit; Turcarum nimirùm Tyrannum, pro libidine, Græculis Acephalis, Patriarchas velut mercem in alictione publica venum exponentem, Proinde & Ruſsis non ſemel Schiſmaticis in procliui erat (cùm ſint concatenata ſcelera] abiurato hereditario Domino, ad alienum poſt veſtigia gregum ſuorum abire; præſertim vltima neceſsitate huc eos impellente; vt more naufragorum; ſtrictum etiam manibus arriperent enſem. Poſt alias igitur tempeſtates, ex omnibus mundi plagis, per Coſacoruſticos concitatas, grauiſſima ab Oriente Poloniæ incubuit, terror vniuerſi Orbis Cæſar Turcicus. Lucan.

*Terrarum fatale malum, fulmenq́ quod omnes*
*Percuteret pariter populos, & ſidus iniquum.*

Gentibus præſertim Chriſtianis, de lana caprina ſecum digladiantibus, Turcis interim è diſsidijs illorum compendia ſua captantibus; prout & cum rebellibus Coſacis, Græca fid icto fœdere, totam potentiæ ſuæ molem in Ruſſiam effudit, eodemq́ue impetu primarium Regni 1672. propugnaculum Camenecum, mirabili ſitu cautibus ſcopuloſis, & præruptis hiatibus à natura munitum, deditione accepit, ſimulq́ue totam Podoliam in vna Ciuitate expugnatam ſui Iuris fecit. Caſu vicinæ Ciuitatis, Léopolis territa contremuit, & tanquam ruinâ eius premeretur, Diuorum; hominumq́ue fidem implorare cæpit. Coacto ergo quantocijùs Senaculo, maior Magiſtratus magnitudinem impendentis periculi breuibus expoſuit. Poſt priores hoſtiles inſultus ſatis graues, grauiſsimum nunc fortunis, iuguliſq́ue ſuis impendere à Turcis, ad interitum bon i um &

 ſtragem

ſtragem Vrbium;natis. à quorum feritate hucuſque iugis montium, rapidis fluminibus, ipſaque diſtantia loci ſemoti ſine ſcitu vixerant; nunc ſubiugata Podolia ſuburbana Regni Prouincia capto Cameneco antemurali Chriſtianitatis, iam ad Portas Vrbanas Annibalem adeſſe; proinde vt ſine mora capita conferrent, aris, focis, chariſque pignoribus ſuis conſulerent, admonuit. Paræneſim huiuſmodi Ciues attoniti excepêre. Quibus animam conſiliumque timor eripuit; præſertim recentes è ſchola, Tacitos voluebant in pectore queſtus:

*O Malè vicinis hæc mœnia condita Turcis*
*O triſti damnata loco nox, alta per omnes,*
*Et tranquilla quies populo, nos præda furentum*
*Primaq; caſtra ſumus; meliùs fortuna dediſſet*
*Orbe ſub Heſperio ſedem, gelidaq; ſub Arcto*
*Erranteſq; domos; quàm Ruſcia clauſtra tueri.*
*Noſ primi Scythicos motus, Moſchumq; ruentem*
*Vidimus, & Martem Dacium rabiemq; furoris*
*Biſonij; quoties Regnum fortuna laceſsit,*
*Hoc iter eſt bellis; gemitu ſic quiſq; latenti*
*Non auſus timuiſſe palàm.*

Alii ex fortuitis prodigiis, uelut Dei Nuntiis, ſiniſtra omina Ciuitati ariolabantur, caſus præteritos cum præſentibus euentibus in comparationem trahentes. Etenim Nonis Iulii Corus ſubitò coortus; è faſtigio turris Prætorianæ, Leonem rotabilem pro apluſtri impoſitum, fracto pinnaculo, unà cum inſignibus Ciuitatis per eum geſtatis deturbauerat, non ſine portento. Namque ſphæram deauratam meredimno capaciorem, in terram vſque deiectam adeò affli-xerat, vt Pars eius conuexa corrugaretur. Quo caſu Reſ-

publica

publica contractionem Regni,[cuius globus Regius Symbolum) in Podolia mutilata postea sensit. Porrò tres monticuli stellà conspicui, per Sixtum Quintum Pontificem Maximum, ob fidei constantiam Ciuitati donati, tecto allisi; Leo quoque symbolicus in idem tectum arietatus, Orientem capite submisso adorâsse, ab eademque mundi plagâ discrimen sibi imminere,non tamen peremptale præsagiuisse videbatur. Simile omen in Anglia, sub Henrico septimo contigisse, Franciscus Baconius refert; nimirùm, Aquilam auratam de spira templi Diui Pauli deiectam, in signum Aquilæ nigræ, quod in cæmeterio erat impegisse, illudque comminutum in terram de iecisse; subiungitq; idem scriptor; hæc interpretabatur Populus, mali ominis locò in familiam Imperialem, quòd etiam impletum est, in filio Philippo Imperatoris, non solùm in infortunio tempestatis, sed & in aliis quæ secuta sunt. At Senior Pars Ciuium, vitam acceptam à Patria, Patriæ impendere non recusantium, ad curas bellicas versi, preces publicas ad supremum Archistrategum Regni expediunt, orantes,vt peditum manus per diuersa castella sparsas, in vnum agmen cogere,& Ciuitati Léopoliensi pro præsidio esse iuberet. Interim antequam externa auxilia aduentarent, Magistratus Ciuibus arma sumere, ad clasficum sub signa coire, in portis,mœnibusque excubias perpetes agere mandauit. Præfecti quoque rei tormentariæ,& cibariæ, quam maximam copiam pulueris nitrati,& annonæ coacquirere iusfi. At nihil æquè omnes torquebat, quàm macies ærarii, præteritis binis redimiis enormibus, & quotidianis tributis exhausti; iam ante experti, nil profecisse Armamentaria, postquam defecissent æraria. Quapropter telo necesfitatis ad-

acti,

acti, è censu in singulas domos ostiatim laudato. Sex Mille Floren: collegerunt. Ecclesiasticorum, Nobiliumque Curiis in eadem naui remigantibus, nec vnum Naulum tamen conferentibus.

Dvm ergo Sartorum, tectorumque Magistri reparandis munitionibus, per tempus collapsis insudant; frumentatores autem pagatim pabulantur. Illustrissimus Dominus Ioannes Sobieski Marschalcus Regni, idemque Exercituum Supremus Ductor nunc verò Serenissimus Poloniæ Rex, Leòpolim venit; ad quem vniuersi Ciues, velut ad beneficum fidus gregatim conuolant; consilium, auxiliumque ab eo suppliciter exposcentes. At ille multùm questus, tempestatem hanc belli Othomanici pridem à se præuisam, Ordinibus Regni tempestiuè intimatam, à multis irrisui habitam, ab omnibus neglectui acceptam, in ultimum pènè discrimen Rempublicam adduxisse; vt modò contra rediuiui Xerxis copias, totiusque Orientis Vires, discincta ac inermis compareat. Proinde neq; se Imperatorem sine Exercitu opitulatum illi venire, neq; vnam Ciuitatem, plusquamtotam Rempublicam posse intulit. Vt ergo ipsi rebus suis consulerent, illasque cum Sexu sequiore, turbaque imbelli fruges consumeres nata aliò deportarent consuluit. Viros antem ipsos, obsidionem impauido animo tamdiu sustinere iussit, donec vel legatione publica, cursus armorum hostilium sisteretur, vel repulsoriæ copiæ præstò adforent. Interim quatuor signa lacera peditum, in vnam legiunculam coacta, pro præsidiò vrbis designauit; quibus Eliam Łacki, expertæ virtutis Tribunum præfecit, Optionesque illi quatuor addidit, Ioachimum, Fridericum Megelin, Dauidem Iack, & Iacobum Sulifzenski, omnes non rudes bellandi; Vniuersis autem

duas turmas equeſtres, ad ſpeculandos, explorandoſque hoſtiles progreſſus reliquit. Verùm, illæ cum agris, illorumque cultoribus, per malaciam quotidie geſto bello, ingruentibus Tartaris [quorum nec aſpectum ſuſtinere poterant] in penitiora Regni turmatim conceſſerunt. Similiter ſelectior pars Ciuium, dicta Imperatoris ſiniſtrè interpretati, vnam ſalutem metuentibus, nullam ſperare ſalutem apud ſe ſtatuerunt. Ea propter principio à Primoribus fugæ facto, cæteris quoque animus in pedes abiit. Miſerabilis mehercle, facies Ciuitatis, ipſiq; etiam Ciuitati erubeſcenda, ea tempeſtate fuit; videre non modò vmbram ſuam fugientes puellas, aut iuuenes ferrum lateris ſui exhorreſcentes; verùm etiam Thraſones armis cælum quondam territantes, ipſoſque Demagogos quiduis audere, & pati profeſſos, nouiſsimè conſtantiæ Chriſtianæ buccinatores, Ambones, Andrones, tanquam in excidio Troiano deſerere ſuper carros, & plauſtra, clauſtra ſua raptim conuaſare, in exilium voluntarium plenis portis ruere, nonnullos veluti lymphatos in manus Tartarorum, campos vicinos perſultantium, ſpontè currere, & metu periculorum imminentium, in aperta pericula ſeſe præcipitare. In hac publica omnium conſternatione, quoniam nec ipſe Iupiter Stator populi fugium illud ſiſtere poterat; duo reliqui Conſules, Bartholomæus Zimorowicz; & Ioannes Anſerides, ex ipſa deſperatione Concinium. Sumentes animos, deploratas res Ciuitatis, interuentu ſuo reſtituerunt. Quorum prior Faſcibus Conſularibus, alter aduerſariis Oeconomicis ad ſe receptis, cùm Ciues prope omnes in pedibus, non manibus ſpem poſuiſſe aduertiſſent; egregium facinus auſi, portas fugientibus clauſerunt. Poſtmodùm vocatos in conci-

lium

Tium,hòc modo allocuti ſunt. Si vnqnam aliàs Patriæ morientis imaginem vidiſſent, hodie ſaltem iam iam animam agentis ſpeciem contemplarentur; quando eam; non modò capite cenſi Municipes, ſed ipſa columina Vrbis Patres fœdâ fugâ deſerant;quo facto nihil aliud agerè, niſi ſubtracto vitali Spiritu, templa & tecta incolis Viduata, tanquam cadauera inania libidini hoſtium relinquere videantur. Perindè enim eſſe Patriã periclitantem deſerere, atque inermem hoſtibus prodere; nec minus impium fanis Diuinorum faces ſubdere, ſtatuas illorum deturbare, portas Ciuitatis hoſtibus ap erire; quàm hæc omnia Barbaris aduentantibus, ſine defenſoribus,relinquere. Proinde ſaltem reſidui, &velut grana tritici,poſt euentilatas paleas, in hac area Martia relicti, foras miſſo timore, amorem Patriæ induerent; neque fugitivos viros muliebria paſſos, ſed potiùs maiores Leoni ſuo non degeneres, præ oculis haberent; qui in præteritis grauiſsimis obſidionibus ſalutem Patriæ, fortunis, liberis, vitaque prætulerunt. Nonnulli etiam pro indemnitate èius,pulchram oppetere mortem non dubitârunt. Verùm neque adeò de fortuna Regni deſperandum eſſe; vt incolumi Rege, ſaluo vtroque Imperatore, exercitu nullibi cæſo, Regno nondum debellato, collum Othomanico faſtui liberè ſubmittat; neque in ultionem ſui ampliùs conſurgat. Breuem eſſe hanc poteſtatem graculis conceſſam, dormiturientibus Aquilis impunè illudere,expergefactis verò turpia tergadare. Cæterùm humanis ſubſidiis deficientibus,non defectura diuina. Experti nimirùm annis retroactis,victorem,Leonem de tribu Iuda,Leoni ſuo ſuppetias veniſſe, àſtrorum,caſtrorumque Matrem,Lunas Turcicas pedibus ſuis ſubieciſſe; armorum

autem

autem Principem Michaelem, fulminibus bellicis in Poliorcetes cælitùs detonuisse. His commilitonibus de cælo pugnantibus, progenitores suos à portis hostes pepulisse, & deuictis aggressoribus trophæa statuisse certò certiùs haberent. Neque nunc dubitarent eosdem cælites, qui priùs fuerant esse, similiterque ad clafsica sua venturos, quomodo ipsi ad defendenda illorum penetralia manus suas commodarent. Admonitiuncula huiusmodi multi Ciuium erecti, animos proiectos iterùm receperunt. At quibus soluere cæperunt cornua ventres, cum lituis audita [vt Satyricus inquit] nocturnis tenebris tecti furtim vrbe exibant; ad quos sufflaminandos Duumuiri Consulares, durioribus lupatis opus esse iudicantes, vniuersos in vnum coegerunt, ad eundemque Conuentum Gubernatorem vrbis Eliam Lacki vnà cum stationariis, eius inuitârunt; in quorum consessu Proconsul præfatus fatalem hanc formidinem Ciuium ante tubam trepidantium, & quotidie per varia effugia, foras dilabentium, nullo alio freno inhiberi posse, quàm vt singuli SACRAMENTO, DEO, Regi, & Patriæ dicto iurarent, in quo dicendo, primum se omnibus præire velle testatus est. Cùm verò nec ipse Gubernator, assleclæque eius iuramentum eiusmodi abnuerent; omnes quicunque saluam Patriam esse, nec eam ad ultimum Spiritum, deserere vellent; in dexteram partem sijnedrij secedere iubentur. Inopinato tali sequestro cuncti pudefacti, omnes in Proconsulis sententiam pedibus iuerunt, illoq; præeunte primùm Ciues deinde stationarij, hi signa, illi mænia non deserturos se solenni religione obstrinxerunt. Nihilominùs nonnullis [quos dicere nolo] etiam iuratam mentem timor panicus eripuit, vt post fidem DEO

 teste

teste datam, subitò ex oculis aliorum disparuerint. Interea atroces nuntij præsertim è Vinculis Scythicis elapsi, quotidiè aures Ciuium euerberare non cessabant. Turcicas copias obuijs Oppidis per deditionem captis, pagis euastatis, cum ingenti apparatu castrensi, in excidium Ciuitatis Leopoliensis properare, iamque Tartaros præcursores illorum, campos circumiacentes captiuos tenere. Idem equestribus excubijs excursione raptim factâ, nullo tamen captiuato affirmantibus. Quibus vtrisque incendia hostilia pagatim disseminata, & in nubibus repercussa fidem adstruebant. Confestim igitur ex edito arcis supernatis, fragore machinæ fulmineæ pabulatoribus, & Anteurbanis signum datum, vt in tutum se reciperent; Arcis quoque ipsius hucusque neglectæ, & abiectæ cura, duabus Decurijs peditum commissa, tam valido munimento, adeo infirmum præsidium, quasi cothurnij Herculis infanti aptati; quod postea ipsis Turcis risum movit, reputantibus secum ob inscitiam rei militaris, vel infrequentiam præsidiarij militis, Capitolium Rusicum aliquot anseribus in custodiam traditum.

Signa equestria bina præsidio Vrbis pro appendice addita, vt causariam Ciuitatis deserendæ missionem obtenderent, excursionem in hosticum simulârùnt. Quibus non satis fidens Præfectus Vrbis, aliquot denos turmales illis addidit. Auxit numerum Vtrorumq; læta bello Vrbana iuventus, ita vt tumultuaria manus illa, ad quingenta capita ascenderet. Hæc procastria Suburbana circumequitans, aliquot Tartaros palantes adorata, ne in fugam actos longiùs insequeretur, statiuà Tartarica in proximo sita Secutores terruerunt. Ciuicas igitur turmas, vetus mi-

litiæ

litiæ Primipilarius Fridericus Megelin domum reduxit, militares verò more gruum hyeme appropinquante, in transfuistulanas Baias concesserunt.

*21. Septembris.* Die sequenti citus equo Scytha pomæria Vrbis adequitat, pileoque supra caput ( ne à sclopetaijs impeteretur)elato, schediũ perticæ humi fixæ ĩponit, eademque pernicitate retro se proripuit; quod ab vno excubitorum ad Magistratum perlatum, quoniam vernaculo charactere, & idiomate exaratum fuerat, palàm legi placuit. Literas illud Supankasic Agæ Veseri Tartarici, continebat; in quêis Præsidibus Ciuitatis salute breui dicta, denuntiat. Magnarum Hordarum Principem, innumerabilibus equitum turmis succinctum, præstò adesse, & ciuibus fidelem operam suam, si qua opus habuerint, gratanter polliceri, dummodò illi omni hostilitate abstinerent, clementiamque suam potiùs, quàm indignationem experiri malint, ne galeatos serò duelli pæniteat. Porrò Ciues animum Barbari venenatum officio personatum subodorati, eò acrioribus custodijs portas, mœniaque firmârunt. Antequam tempestas, Othomanica Vrbi incubuisset, procella Tartarica anteuertens, colles vicinos atra nube operuit, quæ quia vltra teli iactum stetit, sine vllis missilibus cum Sole abeunte recessit.

*22. & 23 Septembris.* Biduo Sequenti Scythicæ Phalanges, velut in Diribitorio densis Ordinibus ante obsessorum oculos [ qui primo in prælijs Vincuntur ] constiterunt, simulque Pomœria Ciuitatis adeò proximè prætereequitabant, vt e fastigijs Turrium per tubos opticos discerni, numerarique facilè possent; pauci illorum loricati, plures Semiermes, sagulis gausapinis pubetenus tecti, o-

mnes, autem inferni aſpectûs, homines parcè, pænulati decades, equorum clitellariorum Saccis ad manubias aſportandas, oneratorum poſt ſe trahentes. Quamuis autem libratoribus interdictum fuiſſet, volatica hæc agmina globis volucribus petere, ne formidinem bombis ſuperuacuis faterentur; cùm & canes timidiſsimi vehementiùs latrare dicantur; vltra vetitum tamen tormenta currulia, non irrito Succeſſu exonerata, longiùs eos à Septis Ciuilibus amouerunt.

Nocte appetente Incendiarii aliquot à præſide Vrbis cæca ianuâ emiſsi, faces ædificijs antemuranis (ne hoſtibus receptui forent] ſubdiderunt. Momento igitur temporis omnes tabernæ diuerſoriæ mœnibus vicinæ, ædeſque materiatæ per hortos proximos, amænitatibus æſtiuis ſtructæ in flammas abierûnt, ſuiſque ignitis ardoribus, velut coronâ vallari, Vrbem cinxerunt. eadem inclementia loripedis Vulcani, Sacellum minus, memoriæ Crucifixi dicatum, hauſtum perijt.

24. *Septembris.* Summo manè Czauſius Soltanicus portulam Ciuitatis Orientalem equo aduectus, intromitti ſe petijt. Admiſſus Herum ſuum Regulum Tauricanum beneuolentia primùm cum Ciuibus certare conſtituiſſe, Ad quam prolixiùs conteſtandam Protonotariũ ſuum intimum ſine mora miſſurum dixit. Ciues quoque hanc eius propenſi animi ſignificatiònem dexterâ manu ſibi porrectam, ſi itidem dexterâ recipere voluerint, aliquot Primores Ciuitatis ad colloquium mutuum deſignarent. Re in Senatu bellico, Ciuilique ventilatâ, non irritandos crabrones Vniuerſi cenſuerunt. Statimque par Conſulum priùs à me nominatorum Ciues aliquot armatos, & Fridericum

cum Megelin legatos suos expediuerunt. Qui forás egressi, in curia semiusta fossæ Vrbicæ proximâ, mali commatis transfugam Morausciùm profugorum è Lithuania Tartarorum authorem, cum aliquot Crimensibus Tartaris equis insidentibus offenderunt. Hic à Hano Ciuibus salutatis, multum super potentia Othomanica, ipsiusque Cæsaris benignitate, Diis immortalibus æquali blaterans; Polonorum autem triste supercilium, enormia tributa exaggerans, exemplo Vrbis Camenecensis, deditionem Ciuitatis in manus Turcicas, persuadere laborabat. Hano ad eam rem operam suam, Vadimoniumque per eundem promittente; verùm cùm Léopoli neminem sui similem perfidus homo inuenisset, irritus legationis abiit. Hano tamen pro eiusmodi studio gratiæ amplissimis verbis actæ.

Adultâ die Signa Turcica auro Vibrantia in conspectum venerunt. Rara illa quidem, verùm subsignano milite frequentia: pedestres manipulos Ianisarorum sub labaris expansis, Tribunus illorum, Ianisaraga ducebat. Horum terga, operæ castrenses, fossores, fabri, cunicularij premebant; quorum in medio machinas murales viginti, multa paria bubalorum trahebant; rem tormentariam, cibariam, aliamque supellectilem bellicam greges sarcinarij Mulorum, Asinorum, Camelorum ferebant: claudebat prolixum agmen Satrapes Kaplan Basza, equo Thracico basilicè constrato sublimis; coram quò vice Præambulonis, Camelus ingens, telâ auro texta genua ad vsque coopertus ducebatur; qui dorso suo gibboso librum elephantinum ex delirijs Machometicis consarcinatum gestabat. Hunc Turci transeuntes, velut Baiulum Isidis mysteria portantem, nonnisi capite prono circuibant.

Pane

Ponè illum signifer Vexillum grande prasinum, literis cubitalibus charactere Arabico scriptis conspicuum explicàbat, latera duo pilani iubas candidorum equorum contis suspensas gestantes stipabant; à tergo concateruati Ianisari, sclopetis longioribus velut ad prælium instructi sequebantur. Interim dum Purpuratus oculos aspectu Vrbis eminus pasceret, metatores castris stationes regionatim designabant. Turci loca confragosa, soli orienti obuersi, tentorijs versicoloribus occuparûnt; in quorum meditualio conopeum laxum castello non absimile, erectum est, intrò multis menianis foriculis, conclauijs distinctum, extra septo cotinuo clausum, sedes ipsi Purpurato, militibus Prætorium futurum. Collinas conualles Austrum respicientes, Moldaui, Valachi, Transyluani, suppetiæ Clientelares Turcarum insederunt; Tauricanus Dijnastes cum numerosis Hordis, in partibus diei cadenti vicinioribus, mapalia sordida posuit. Petrus Doroszenko.

Lucanus. *Vir ferus, & Regnum cupienti perdere fato sufficiens.*

Spartacos suos, veriùs quàm Cosacos ad Aquilonem collocauit, taliq́ue modo statiuis in orbem dispositis Leòpolim non terreis aggeribus, sed viuis corporibus vndiq; circumvallarûnt, omni exitu introituq́ue ad eam præcluso.

Tam Portentoso Gigantum Exercitui Politarches Vrbanus, idemque Polemarchi absentis Vicarius, defensorum manipulos numero Viribusq́ue minores opposuit, illosq́ue quadripartitus est in obuersa Orienti, castrisq́ue Turcicis plaga, vndè Ciuitati maxima pernicies impendebat. Ferdinandum Lechner, germanici Spiritus Virum, ad meridiem; Vrbanum Czechowicz, Martij animi iuuenem, Versùs occasum; Boreamque; Ioannem Studnicki,

exploratæ Virtutis Tribunos suis cum centurijs constituit. In Emansoris quarti locum, Andream Szymonowicz, quiduis agere, & pati promptum surrogauit, stationemq; illi cum leone vigili ad omnes subitaneos casus, ante Prætorium assignauit. Armilustrio itaque peracto, postquam ex albo Decurionum, nonnisi Mille capita Ciuium; stipendiariorum verò Quadringenta esse recensita constitit; in tanta paucitate propugnatorum, pluribus potioribusque metu dilapsis, seruitia etiam mediastina, necnon Oppidani, Paganique conuenæ, rutris, dolabris, sudibusque præustis accincti, Procubitoribus intercalati sunt; quorum plures agrestes, rastris non castris assueti. Omnes autem sine penu, & pecunia à Conquisitoribus coacti, facilè pabulandi gratiâ stationes deserebant. Cui infrequentiæ Rectores vrbis obviam ituri, Curatores rei frumentariæ constituerunt. Qui absentium Ciuium promptuarijs excussis, è fare quidem panes clibanis aliquot tostos, è polenta verò Pultibus, oleribus, alijsque legumentis pulmenta cocta, inter bellicosos illos frugiperdas distribuebant, buccellatoque stipendio auctoratos ægrè in officio continebant. Postmodum Armidoctores Astici re accuratiùs expensâ, videntes Vrbem contra Vires Asiatici Gigantis, tenui tibicine fultam; deficientibus humanis Subsidijs, diuinam opem suspexerunt. Quapropter Vniuersa templa, noctes atque dies patefacta, Supplicationes ad omnia Diuorum pulvinaria indictæ, vota publica Tutelaribus, Indigetibusque Vrbis nuncupata; siderum Regina, contra Noctilucam Turcicam, excidiùm Vrbi cornibus suis minantem inuocata; aliaque placamenta iræ divinæ instituta; Ad quæ sexûs sequioris, imbellisque turba,

non

nòn ære canorò, (cui silentium hostis indixerat] verùm tonitruis bellicis interdia, globis autem fulgurantibus noctu conuocata frequens aderat; ibidemque mulieres, non Adonidis, interitum [ vt apud Prophetam ) sed Parentum liberorumque suorum crudelia fata deplorabant. Seniores uerò intimis suspirijs, tacitisque gemitibus auxiliares manus supernorum Ciuium implorabant. Ne autem stationarij, quoque obtentu pietatis signa desererent, IESVS CHRISTVS sub Velaminè panis, à ministris suis per mœnia circumlatus, bis in die Circitoris vices obibat. Spirituque Oris sui Tyronum manus ad prælium, Veteranorum digitos ad bellum pro gloria Nominis sui susceptum armabat, animabatque. Facilè itaque Leone Duce exercitus Ceruorum Victoriâ potitus est.

Primis tenebris diem subsecutis, Designatores Turcici aggeres sabulosos, in campis Prochodochij Sancti Spiritûs, per suburbanos Neapolim quondam somniantes erectos contemplati, in prominenti vnius, quatuor tormenta ærea contra Vrbem direxerunt.

Cæpta autem luce, vt tutiùs suggestus bellicos ex alijs partibus excitare, machinasque murales in eis collocare; Ciues verò à iactu missilium cohibere possent, legatione eos Ductor Turcarum aggredi statuit. Neque diu cunctatus, per caduceatorem iu vrbem missum, duo tela in armamèntario habere se denuntiauit; alterum clementiæ amicis, indignationis alterum hostibus destinatum. Vtrum Ciues horum elegerint, quantociùs aperirent? C iuibus re cum Præfecto armorum communicatâ, Delegatos itidem suos ad hostem expedire placuit. Selecti ergo ex Ordinibus sex Viri, postquam tentorium eius, Augustali Regio par, introdu-

introducti fuissent, inter greges exoletorum, catamitorumque cum Magistris rei tormentariæ sermocinantem Kaplan Baszam prævenerunt, breuique salutatione data, & accepta (vt barbaris est mos] charisteria esculenta ei obtulerunt, quatuor videlicet panes similagineos grandiculos, decem grumos saccari Indici, & mellis puri pro hydromeli conficiendo vasculum. At ille collaudatâ Ciuium hospitalitate, non adeò se famelicum in has oras venisse intulit, vt oblatis hisce cupedijs meli, mellisque famem domare, aut sitim sedare velit; aliam sibi inesse maiorem orexim, quæ nonnisi deditione Vrbis expleri posit, stomachumque struthionis ferrum consumentis se habere; ideoque ferreas claues illum esurire asseuerauit. Proinde nisi seras Portarum, ipsasque Portas Ciuitatis potestatis suæ esse voluerint, facesserent illicò, macteasque pueriles liberis suis ieiunis retroferrent. se pro huiusmodi libamentis, bolos illis chalijbeos breui redditurum dixit, simulque è conspectu illorum in secretius conclaue sese proripuit. Cùm verò legati, Cubiculario eius sese expurgantes, Regij Iuris Ciuitatem, alieno Domino se prodere saluâ fide non posse allegarent, induciasque in aduentum Regiorum Delegatorum dari sibi exposcerent, nouissimè vt saltem lautia in vim Xenij oblata, gratâ manu recipere dignaretur, rogarent; Cubicularius responso ab Hero petito, confestim legatos cum suis scitamentis in malam rem abire iussit. Tam inhumano responso illi consternati, nondum è castris Turcicis pedes extulerant, cùm iam tonitrua hostica, raucum reboare, pilasque ferales intra Vrbem displuere audirent; vt vix inter horrendos stridores volitantium glandium, submissis capitibus salui intra mœnia

 quæsierint.

euaſerint. Neque aliam reſalutationis formulam ſperare debuerant à Thrace inurbano, cui ipſa natura pro virtute impetum, pro magnanimitate feritatem inſeuit; morem ergò gerens feritati ſuæ Kapłan Baſza [ quod agnomen à Tigride per eum mutuatum, mihi quoque in Tigranem mutare licebit ] totus in feram nominis ſui verſus nullam ſibi, nullam obſeſsis requiem nocte dieque dedit. Eapropter antequam eum dies defeciſſet, continuò tonare, fulgurareque non deſtitit. A prima autem veſpera, tota nocte ſphæras incenduirias maiore terrore, quàm noxa, è collibus vicinis ſupra tecta domorum iaculatus eſt. Verùm benigno Numine ita volente, omnes ollæ Vulcaniæ in ignes luſorios abiêre, iucundum ſpectaculum, nullum damnum Ciuibus ex ſe dantes, præter duos Cornicularios in ſtationibus ſpeculatorijs violentiâ tormentorum membratim diſcerptos. Per eiuſdem noctis tenebras, Turci vltra Caſtra ſua, duobus in locis machinas murales mœnibus Ciuitatis cominùs admouerunt; in ipſo autem Supercilio collis Szemberciani, ſedem tormentariam, Bateriam vulgò dictam, feſtinato opere ex ceſpitibus eduxerunt, in eiuſque vertice quatuor tormenta obſidionalia collocârunt. Nec ſegniùs Doroſzenko, cum ſuis ſequacibus, in ima collis crepidine Georgitani, duos tumulos fieri, verticibuſque illorum aliquot bombardas campeſtres imponi fecit; quarum è faucibus bolos ferales, contra Ruſsica etiam Stauropægia eructaret. Euiuſdem noctis conticinio, duo Cretenſes Itali, Turcica ergaſtula elapſi, intra mœnia recepti ſunt. Qui inediâ, diurniſque ærumnis emacerati, bucceam panis ante omnia porijgi ſibi orarûnt; cuius ne micam quidem in contubernijs Turcarum, à multo tempore

pore

pore se gustasse deierabant. Obsonijs ergo vtcunque refecti, locò gràtitudinis libratoribus Vrbanis monitum dederunt, ne tentoria Turcica in aprico collium fixa, vt pote habitatoribus vacua, tantumque ad frustrandos tormentorum bolos, per speciem ictibus opposita impeterent; sed potiùs per conualles, sinusque lacunosos exporrecta hominibus frequentia ferirent. Et quoniam ex Græculis illis esurientibus, vnus Italo perfusus aceto, non seruilia sapere videbatur; seorsim à Proconsule requisitus respondit, Cæsarem Machmetem in tentorijs ad Castellum Buczacz fixis, cum Satrapis spadonibus, Draucisque suis dies albos viuere, post Camenecum dormienti sibi in nassam illapsum, leporibus, dorcadibusque retia tendere, seque quotquot eunt dies, Hierarchium, Hierosalionumque aucupio òblectare. Cæterùm tanquam strepitu armorũ suorum totam Poloniam debellasset, aut in arce Camenecensi claues ad reliquas Regni Ciuitates inuenisset, moram legatorum ad se destinatorum, pro contumelia accipiens, vnum è purpuratis Kapłan Baszam, cum L. M. selectioris militiæ ad subigendam Léòpolim misisse, additis ei Getarum, Dacorum, Cosacorum auxiliarijs copiis C. M. excedentibus. Quam quidem colluviem, ob Sæuitiam annonæ, diù loco in vno commorari non posse, Tartarorũ prædatorias manus, excursiones quâqua versùs facere, cunctaque agere & ferre iam dudum gestientes.

27. *septembris.* In crastino dubia adhuc luce, omnes insimul Belluæ fulminatrices horrendum fragorem dederunt. Vt cælum ruere, solum è fundo mugire videretur. Nec segniùs obsesi è septuaginta machinis igniuomis, toto die non tamen æquali boatu illis respondebant. Siquidem

Turcicorum tormentorum rictus, bolos è chalijbe fusos viginti quatuor librarum pondo egerebant, multoque vastiores crepitus edebant; exiguo nihilominùs damno, aut cristas Turrium superuolantes, aut summitates tectorum delibantes, propugnatoribus interim sub pluteis, loricisque solistimis securè defensioni aduigilantibus.

Eodem matutino, operæ Turcicæ binos accessus subterraneos, principio à statiuis suis facto, moliri cæperunt, álterũ vbi colles vinearũ molli se subducere cliuo incipiunt, contra munitiunculã semifactam, claustrũ Patrum Discalceatorum extra Vrbem proiectum circumuallantem. Alterum per planum viæ Temricianæ ad Parthenonẽ Virginum Diuæ Claræ ducentem. Verùm præfectus Ianisarorum, non expectato fossitio tramite, primus passu admisso Cœnobium illud inuolâuit; cuius exemplum Ianisarij, inter densam plumbatarum grandinem sparsim cursimque secuti sunt. Quamuis autem plerique illorum pillulis fistularum manualium (vix enim ducentis passibus à propugnaculis vrbicis distabant] configerentur, vltimi tamen per calcata priorum cadauera in claustrum illud se recepe-runt; vbi cinctura muri lateritij totum cænobium ambientis, à missilibus Vrbanis securi, cuniculum cæcum subter mœnia Monasterij Patrum Bernardinorum ducere cæperunt, & per subsequens biduum alternis vicibus integri sessis succedentes, ad ipsum murum produxerunt. Quâ suffossione crypticâ perterriti claustrales, simul & aduenæ ibidem hospitantes passim dilabebantur; quin & Præsidiarij communi metu abrepti, stationes per flagitium deseruissent, nisi, à Machinatore bellico edocti, ex aduersa parte parietis foueâ excauatâ, aquisque repleta, technam hostilem contraria stropha frustrati fuissent. Magi-

Magiſtratus Ciuilis à quotidianis transfugis, vincula & Turcica elapſis edoctus, excubias caſtrorum hoſtilium infrequentes laxaſque incuriosè agere; præſertim forum rerum venalium, Bazar nuncupatum, non modo mercatu eſculentorum, poculentorumq; verùm etiam inſtitis mercium exoticarum, officinisque Collibyſtarum opulentûm, duplici ordine in campos vſque exporrectum, nonniſi ab vna decuria Ianiſarorum oſcitanter aſſeruari. Excurſionem nocturnam adornare ſtatuit; ad quam citiùs maturandam, Vrbanum ſine nomine Vulgus, cum Ruſticanis furandi quam pugnandi melioribus eum ſtimulabat. Qui ſingulis propè noctibus clàm vrbe egreſsi à paſcuis anterijs, camelos, bubalos, aſinos, furtim abactos intra pomæria agebant. Quare communicato cum Gubernatore Militari conſilio, quadringenti è gregarijs, ſecundarijſque Ciuium ſelecti, ſecundâ noctis Vigilia extra mœnia pſeudothyro abierûnt; quorum tanto plures mechanici, lixæq; dulcedine prædæ illecti, numeros auxerunt. Hi dum ſilenti agmine, inter foſſas ſummœnianas tempus irrumpendi præſtolantur, fremorem murmurque multorum hominum obſtrepentium, iumentaque ſtimulantium à longe accipiunt. Poſtmodum ab emiſsis ſpeculatoribus certiores facti, quatuor murifraga tormenta ad quatiendum clauſtrum Patrum Bernardinorum, cum multo hominum boumque labore machinatores Turcicos admouere, confertaſque cohortes Ianiſarorum præſtò illis adeſſe. Eapropter in accinctos, prælioque paratos, velut in diſtrictum Mucronem incurrere, emiſſarijs noſtris non eſt viſum. Poſtquàm autem ſuadentibus ſideribus ſomum, maior pars eorum in ſtatiua receſſerat; tum demùm aggreſſores trifariam diſpertito,

dispertito, præmisso valido clamore; tympano um, sclopetorumque explosorum fragore, in extremum agmen irruentes ad satietatem cæciderunt, sub ipsam stationem nocturnarum vigiliarum, more pecorum eos propellentes. Nec nisi ab ipso limine castrorum Turcicorum paucitatis suæ conscij pedes retulerunt. Quâ vociferatione incursantium, & quiritatu fugientium semisomnes alij exciti, lymphatorum more arma conclamare, equos sternere, sarcinas conuasare, mulis dorsuarijs supellectilem castrensem imponere, & fugam spectare non destiterunt, donec noctis tenebras consurgens aurora fugâsset. Redeunte igitur die, operæ quoq; Turcicæ ad pridiana molimina redeuntes, pars in auerso Monialiū muro, portulâ pertusâ infusi, omnia cubilia Vestalium insederunt, ex eorumq; latibulis defensores Monasterij Minoritarum, destinatis glandium ictibus petebant. Alij aditum cæcum sub mœnia Ascetica nudius tertius inchoatum, continuabant; potissima autem pars illorum aggere, fossaque transuersis per vicum argileti, eductis quatuor machinarum currulium, ora in mandras Patrum Bernardinorum obuersa, incessanter onerabant, exonerabantque cum maxima obsessorum consternatione, & discrimine. Quod si enim libratores Turcici, in vno eodemque puncto murum verbarare, perseuerassent; breui in terram illum arietassent; verùm distinctos ictus recentibus locis impingentes, nil nisi profundas cicatrices, in plagoso pariete reliquerunt. Res tamen memoranda nouis annalibus, atque recenti historia calamum mihi transuersum rapit. Duo claustra Cœnobitica, sub vno labaro Diui Francisci CHRISTO militantia, adeò infensè secum concurrisse; vt nisi Præstites Vrbis superi, horumque Primicerius

micerius Ioannes Duclanus, [ cuius Mausoleum globi hostiles venerabundi circuibant ] suppetias venissent, procul dubio è Parthenone Andronitidis, pernicies plotoplastorum casui non absimilis illata fuisset; verùm Historiographi, non Mystagogi stylum professus, ad cæptam narrationem redeo.

Arcem Superiorem viginti Manipularibus in custodiam datam, paulò antè innueram; verùm ne hic sextans peditum, à Turcis omnia rimantibus circumueniretur, per amica silentia noctis intra urbem deductus est. Confestim ergò vacuam Ianisarij occupant, duobusque minoribus tormentis ibidem relictis potiuntur. Verùmenimverò alteram hanc Acropolim Russicam hominum incuriâ, temporum iniuriâ, sensim dilabi, exteri potissimùm nec immeritò mirantur. Gnari enim omnia in alijs Prouincijs, bella, non tam manibus, quàm etiam mœnibus sustentari, aliquando profligari; solos Polonos neglectis Castellorum munitionibus, fortunæ lubricæ, campi Dominæ fata sua committere, quamuis satis superque vel ipsa Léopolis documentum ex se dederit, per cuius latus Regnum ter petitum, ter saluum stetit. In vnaque Léopoli defensa, omnes alias Ciuitates Regni defensas fuisse. Quippe magna etiam bella velut telo, prima acie tanquam cuspide præracta minùs noxia sunt. Porrò arx de qua mihi sermò, super tumulum naturalem quasi manufactum, in excelsiore fastigio per Casimirum Magnum, ante tria sæcula cæmentitio opere structa, naturalique situ magis, quàm solertia humana munita, diutissimè conatus hostium retardare, ipsaque mora ac tædio numerosos exercitus conficere posset; vel si vim adhiberent, ob arduum ascensum, priùs illis cum

anima-

animabus suis, quàm obsessis luctandùm esset. Sed hoc Præfiscini scriptum esto. Ne arcis huius abiectæ opera interrupta, minæque murorum ingentes, in caput Ciuitatis aliquando decidánt.

Interim dùm mortales non imitabile fulmen, iuxta Maronem imitati, factitijs fulminibus diu, noctuque adinuicem præliantur. Princeps armorum MICHAEL, cui fulmina belli Rex VLADISLAVS Leòpoli quondam consecrauerat. [ vt ait Epigraphe Hoplothecæ eiusdem Ciuitatis ] secunda vigilia festiuitatem suam præcedente, veluti fracto displosa tonitrua cælo iaculatus, in castra Turcica effundens largum cum turbine nimbum, terruit vrbem, sed magis hostes. Quorum Arioli fulmen illud sinistrum, tanquam ominosum exhoruêre. Ciues verò pro salutari tessera suppetiarum, cum Archistratego militiæ Empijreæ cælitùs venientium acceperunt. Præsertim sagaciores reuocantes in memoriam Patres Bernardinos [ quos maximè Turci clam, palamque impetebant ] duobus mensibus ante aduentum hostium, in apice turris suæ tinnulæ, venti indicem fixisse; cuius medio in æquore lemma cratitijs literis expressum legebatur, huiusmodi: Michael fecit Victoriam. Quem licet post casum pinnæ Prætorianæ, ne similem labem faceret, loco mouissent; multis tamen spes credula instinctu diuino, non humano, signũ illud Victoriæ, à Religiosis Viris expositum fuisse, Diuvm que Michaelem, cuius sub nomine Sodalitas militaris in templo eorundem erecta viget, opem suam per murmura cæli promittere persuaserat. Neque eos augurio spes bona suo fefellit. Etenim eiusdem noctis primis tenebris, vnus è Fecialibus ad Imperatorem Turcarum à Republica destinatis

destinatis, Illustrissimus Dominus Castellanus Volhyniæ veredarium aduentus sui nuntium, & liberi commeatus solicitatorem, ad Regulum Tartarorum præmiserat. Qui è vestigiò per cubicularium suum Kapłan Paszam admonuit; vt post aduentum caduceatoris Polonici, à cœpta hostilitate abstineret. Proinde oppugnatio Ciuitatis summo studio, hucusque continuata, è priore feruore multùm remisit, rarioresque tormentorum crepuerunt bombi. Nox quoque subsequens liberè à malleolis volucribus transiit.

*29. Septembris.* In crastino autem matutino, aureorum verborum Nuntius à Kapłan Pasza, ore non manu ramum prætendens oliuæ, in Ciuitatem venit. Qui præmissa breui salutatione, Duum Viros Polonicos ad inducias cum Porta Othomanica pangendas, in castris iam adesse significauit; interim ferias armorum sacrosanctè ab vtrinque seruandas indixit. Tunc primùm gemitus, rugitus, fremitusque, belluarum bellicarum subitò conticuerant. At Ciues diurnis nocturnisque excubijs fessi, portas, muros, speculas remissiùs vigili statione tueri cœperant. Verùm Proconsul, idemque militiæ asticæ Præfectus, non nescius Danaos etiam dona ferentes, timendos esse; procubitores duplicare, circitores aliquoties per noctem recensere, è seruitijs Turcicis singulis diebus in Ciuitatem sese recipientibus, consilia hostium expiscari; nonnullis Ciuium velut in portu nauigantibus, importunam eius diligentiam clanculùm sugillantibus. cæterùm non frustra fuit eiusmodi circumspectio. Nam indicio vnius fugitiui innotuit, Turcarum operarios suffosionem sub mœnia Patrum Bernardinorum, cœptam, in obseruabili silentio continuare.

Quamobrem Religiosi, ne explosionibus sclopetorum,

ſanctitatem induciarum violarent, lapidatione, contra dolosos Sinones institutâ, multos ex eis saxis desuper iactis afflixerunt; subterráneos verò meatus aquis superfusis inundârunt.

*30. Septembris.* Noctem pacatam, dies pacatior excepit; quâ ineunte, Nobilis Dominus Ioannes Wieniawski, ob fidelem operam Regno toties præstitam, in Equestria receptus, tum quoque legationis memoratæ internuntius, præsto adfuit. Ciuesque de mane in Curia Comitia de capitibus suis agentes, aduentus Illustrissimorũ DD. Francisci Lubouicki Castellani Volhyniæ, & Ioannis Szumowski Proquæstoris Thesauri, legatorum Regni certiores fecit. Ad quos vt Ciues interuentores suos, lytrique (sine quo hostes nullatenùs obsidionem soluere voluerunt) sanctores ablegarent admonuit. Huic pro eiusmodi Euangelio gratiæ ab omnibus habitæ; Lytro autem vniuersi, velut oestro perciti, dissonis vocibus obstrepere cæperant, vociferantes Léopolim Reipublicæ patrimonium, non Ciuium esse; se incolas illius à singulis capitibus, focis, agellis, quotidianas indictiones stipendiarijs eius pendere; exindè Rempublicám gregem suum, per se quotannis tonsum, emulctumque, vel ferro per Militem, vel auro per Quæstores suos, è manibus hostium eriperet. Fortunas Ciuium binis prioribus enormibus redimijs, nimiùm attritas, iam pridem animam egisse, nihilque sibi spoliatis præter arma superesse. Horum acie, vel in libertatem se vindicaturos, vel residuum sanguinem Patriæ propinaturos. Protoconsul contra torrentem Vernaculæ multitudinis, obniti importunum ratus, negotium quoque capitationis ad omnes incolas Vrbis pertinere intelligens, amplissimi Sacerdotij Collegas binos, tum temporis

præsen-

præſentes, vnà cum Præpoſitis Familiarum Religioſarum inCuriam per accenſum ſuum advocari curauit. In quorum præſentia, populiqúe frequenti corona, verba eiuſmodi fecit. Facto hìc magis,quàm conſulto opus, vbi ſalus omnium in acie nouaculæ poſita, vltimum ictum expectat; non dùm quidem in manus hoſtium venimus, at ferro illorum vndiqúe clauſi, velut victimæ in cauea propè diem mactandæ detinemur. Neqúe nos làtet Machometem Tyrannum Othomanorum, poſt Camenecum terrore nominis ſui expugnatum, ad intercipiendum alterumRuſsiæ oculum, partem copiarum miſiſſe. Ipſum autem cum reliqua fortunæ ſuæ mole,ſub Papilionibus citra Buczacz fixis, nobis imminere. Neqúe inde pedem moturum, Cameneco niſi capto additâ Lèopoli; vt frequens rumor dicit. Non ignoramus etiam,quantum Poliorcetes iſte poſsit in armis? Quot chiliadas validiſsimarum vrbium imperio ſuo ſubiecerit? nunc vnam vrbeculam, neqúe manu militari, neqúe munitionibus ad regulas recentis architectonices ſtructis, Satis firmam, in poteſtatem ſuam redigere non poterit? vndè nobis tot Myriades recentium ſubſidiorum ad reſtiſtendum, vt nuper Candiæ venturas ſperamus? Vbi tantam copiam annonæ, ad trahendam obſidionem, vt quondam Famauguſta fecerat habemus. Cùm de ſuppetijs ex Vtopia nobis venturis,nonniſi Nuntiòs, eoſdemqúe mortis anteambulones, globos nimirùm Turcicos, ſingulis momentis accipiamus. Quocirca à mortuisDoctoribus, viuqúe rerum Magiſtro dudùm edoctus, arces quaſuis imparibus viribus defendendas ſuſcipere, idem eſſe, quod prodere, parendum eſſe neceſsitati [ cui Dij etiam parere dicuntur ] neqúe temerè Cerberaſtros iſtos irritândos; quin

potiùs offâ obiectâ, placandos censeo, satis illustre documentum constantis fidei, Orbi Polono dedimus, quando singuli cum centenis pugnantes, hostem adeò præpotentem, ne in viscera Regni penetraret, hucusque sustinuimus. Verùm illustrius dexteritatis daturi sumus, si quomodocunque seruatâ Leòpoli, domicilia Diuorum, cultum veri Dei, cara pignora, illisque cariorem Patriam à libidine barbarorum seruabimus. Hucusque illi iugulos nostros petebant, nunc crudelitate in auaritiam versa, quoniam loculos petunt; relinquamus in manibus Grassatorum togas, & sagula; vt ipsi nudi, dummodo incolumes euadamus; cùmq; naufragis strictum etiam ensem arripiamus; nemo cum sarcinis enatare potest, omniaque damna tempestate iactatis, minora naufragio esse perhibentur. Nos quoque lucri damno pleno exitum nostrum redimamus, auroque potiùs, quàm sanguine ferrum Turcicum mitescere faciamus. In hanc sententiam cùm tota conciò [ paucis mussitantibus ] pedibus iuisset; continuò ex omnibus tribubus Licitatores, veriùs quàm Oratores designati sunt: nimirùm Admodum Reuerendus Iacobus Gawath, Canonicus, Ioannes Anserides Consul, Albertus Kupinski secundi subsellij Assessor, Gabriel Bernardinus Senior, & Sebastianus Szwarczeuius è Quadraginta Viratu Vnus.

*1. Octobris.* Isti per Parochos Turcicos in statiua legatorum nostrorum deducti, ambos sub vno Papilione deprehenderunt. His ergo tanquam senatorij Ordinis Viris, omnium Officiorum per Ciuitatem debitorum testificatiotione facta, ad preces, & supplicationes versi, ne sibi, Conciuibusque suis, præteritis geminis lytris, quotidianis tributis, præsentique hostilitate ad fœdam mendicitatem redactis, onus

onus intolerabile redemptionis imponeretur; Sed potiùs vt Respublica Satrapiam suam prope mille pagis frequentem, Ciuitatem optimè de se supra aliàs meritam, in eaq; Basilicam, thronumque Metropolitani, Dicasterium cum actis forensibus Nobilitatis, Armamentarium Regni, & quod caput, libertatem christianam, hastis aureis, vel argenteis, è manibus emissariorum Turcicorum vindicaret, supplices orabant, ipsa æquitate causæ pro illis perorante. Verùm neque acredulæ macritudo, apud Mythographos, neque deprecatoribus rei domesticæ macies apud Patres illos patratos, veniæ locum inuenit. Idque, obtentu Reipublicæ contra armatum orientem inermes manus tendentis, precesque supplicantium irritas facientis, palam Duumviris aures Ciuium pulsantibus. Maiora, damna minoribus redimenda esse, capitisque integritatem ignobilioris membri iacturâ. Denique sub specie persuasionis imperantes, vt periclitanti Reipublicæ potiùs, quàm priuatis rebus consulerent; commune, incendium, communi opera, etsi non sanguine, saltem lachrymis contribuentium extinguerent; talique modo cursum Victoriarum hostilium sisterent. Ciuitati autem pro omnibus dispendijs gratias sæculares, immunitates à tributis promittentes. Porrò Ciues, conditionis suæ, cùm miserandæ sortis asellis non ignari, Legatis potius quàm Turcis vinctas manus dare elegerunt, eosdemque à Castris Turcicis ad statiua Tartarorum [ quo iam & Kaplan Pasza abierat ) proficiscentes secuti sunt; vbi ab Atriensibus in conspectum Turcici Scythicique Megistanum deducti, ambosque submissis deorsum capitibus venerati; gratuitam missionem Conciuibus suis, vt potè hominibus sedentarijs

tarijs

tarijs, mercatu aut mechanicis artibus vitam tolerantibus, nulliusque noxæ contra Portam Othomannicam admissæ compertis, eblandiri nitebantur. Verùm surdis fabulam narrabant; sumptus ingentes inrē stipendiariā, tormentariam, cunicularios, ob moram tot dierum profusos, Turcis exagerantibus, in hostico autem omnes hostes censeri reclamantibus; tandem ad indicationem redempti pretij ventum, quod purpurati illi ad Mille centies nummos aureos reducere conabantur. In contrarium Ciuibus extremam inopiam, & imposibilitatem obtendentibus, aggresionemque potiùs experiri, quàm deprædationem adeò supinam pati non recusantibus. Ad quorum quiritationem Kapłan Pasza excandescens, lapides eiusmodi loqui auditus est. Importunè nimis clementiam nostram imploratis, quam nuper vobis oblatam adeò spreuistis; vt etiam manus sacrilegas victricibus copijs Domini, ProDeique nostri intentare, ausi fueritis. Quo ausu ad iustam indignationem, vltionemque, Maiestatem eius propè Diuinam prouocâstis. Nunc demùm sub ictu, velut lupi in fouea positi, supplicès palmas tenditis, vltimo discrimine non uirtute ad id stimulati; verùm simulatas preces, aut metu expressas, neque Dij audire consueuerunt, neque ego admittere possum. Quocirca adeò grande nefas, in Vicariam Dei maiestatem patratum, vel capitibus piandum est vobis, vel fortunarum omnium mulctatione. Ante aliquot denos annos, Cosacis ruris alumnis, & Tartaris circumpedibus nostris tantùm non pellibus è corpore detractis, incolumitatem vestram emercati estis. Nunc orbis Dominatori, nisi mille centies nummos argenteos leunculis signatos (stipendiarij Leonis vestri testibus) intra triduum

duum

duum numeraueritis; omnes ſimul ſub haſtam & gladium ibitis. Tam truci reſponſo Ciues peterrefacti, ne hiſcere quidem auſi ſunt; Oratoribus tamen Regijs intercedentibus, viginti mille nummorum deductionem è ſumma im poſita obtinuerunt, confeſtimque cunctis venerantium officijs, Cyclopi minas ſpiranti exhibitis domos reuerſi, cruſtula eſculenta, ſecundæque menſæ bellaria illi tranſmiſêrunt; vt moram corradendæ pecuniæ in quatriduum ſaltem concederet. Quâ ægrè impetrata, collationeque in ſingula capita vulgi etiam promiſcui inſtituta, cùm per Collectarios vrbanos exactio eiuſmodi lentè procederet, Turci verò ad delicias Aſiaticas feſtinantes, ſolutionem inſtantiſsimè vrgerent; Præconſul in anguſtias redactus [cui tergiuerſatio omnis imputabatur] duos coactores à Commiſſarijs ſuprarmemoratis impetrauit. Qui ad maiorem authoritatem officio ſuo conciliandam, duabus decurijs peditum aſſumptis, ab vno quoque Viritim Epicephalium illud manu militari extorquebant, cum ſummo eiulatu plebeculæ, vitalem ſanguinem eripi ſibi quiritantis. Vt enim verùm fatear, Optimates Ciuitatis de tota Republica deſperantes, amorem Patriæ ſacis concluſum, ad maritima caſtella ſecũ aſportauerant. Vicarij autẽ Familiarum Aſceticarum, Cœnobiarchas ſuos cum Ciconijs Aquileienſibus in tutiora loca migraſſe cauſati, vaſorum ſacrorum fruſtulenta, reliquiaſque informes, parcâ nec quod ſatis erat manu conferebant (quæ Turci ſcrutarijs, non ærarijs ſuis conuenire dictantes aſpernati ſunt] ſimiliter inquilini Baronum ſtatûs vtriuſque, tanquam extra ſphæram Ciuitatis degerent, nullam ſymbolam dare voluerant. Solas itaque tamdiu vexauit cenſura columbas, donec quin-

quinquies mille nummos Belgicos, cum multo gemitu, ab eis extorserit. Eodem tempore, quo Ciues censionem Populi agebant, institores Turcici ante ianuam vtramq; Quintanas aperuerunt, in quibus præter merces exoticas, mancipia etiam venum exposuerant. Quod vbi Tartaris innotuit, præter captiua seruitia, etiam vilia vendebant tunicato scruta popello, quæ regionatim prædas agendo rapuerant. Nec segniùs Populus Ciuium fide publica fretus, in nundinis eiusmodi, panes, pultes, caseos, butyrum, aliaque edulia (quorum in Ciuitate abundè erat) mercimonijs transmarinis, vel reculis vtensilibus permutabant. In maximo tamen pretio, apud Turcas buccellæ panis excocti, & triticea similago fuit; cuius aliquot modios ipse Tigranes (eiecto de fronte pudore] mercatus est. Per idem commercium multi è vinculis scythicis sese expediuerunt, vel vadibus datis exempti sunt. Nonnemo pietate Christianâ motus, mulierculam cum puèro lactente; quidam Matrem trium liberorum nondùm adultorum; quorum exemplo nescios fari aliquot infantes, ære collatitio extranei homines in libertatem asseruerunt. Per eandem opportunitatem, vesperascente die, aliquot decades seruitiorum Turcicorum, clanculùm portas Vrbis irrepserant; Turcis plagij venalitiarios scythicos insimulantibus. Sub ijsdem inducijs, Proceres Turcarum suis cum trimalcionibus, aliquoties per diem vrbem frequentabant, specie quidem receptionis pactæ pecuniæ, re autem vera vt latrantes stomachos gratuitò obsonarent. Proinde vt Muscæ esurientes fiunt impudentes, sic illi ad obtinendum vulgare pulmentum, supparasitari Ciuibus depuduerant. Fortè in idem tempus, anniuersaria solennitas victoriæ de classe Othomanica

nica

nica ad Echinadas Insulas, centesimo abhinc anno partæ, in Dominicam primam Octobris inciderat. Qua sodalitas Rosarij Mariani, cum triumphalem per Circum Ciuitatis duceret pompam, Turci vicina in æde modulatis Vocibus turbæ prætereuntis exciti, fenestras omnes turmatim complere, sodales primò sagis candidis, purpuratisque cucullatos, duobus versibus incedentes; deindè agmen muliebre longo ordine tractim subsequens admirari, quid comitatus ille obsecrantium, cantantiumque portenderet, sciscitari? Postquam autem ab Astitibus publicâ illâ supplicationē ad impetrandam pacem belliquc exterminationem institutam esse intellexissent, preces quidem eiusmodi Vniuersis gentibus salutares collaudarûnt; cæterùm homines profani, & visis adhinnire puellis assueti. Xenagogum sibi astantem solicitabant; vt gregem illum fæminarum, iterùm in conspectum suum redire iuberet, quò diutiùs aspectu illius oculos emissitios pascere possent; sed eodem momento ad hospitalem merendam à Parocho inuitati, ieiunos potiùs stomachos, quàm prurientes oculos placaturi abierunt.

Ad hanc diem vulturiones Scythici, quotannis Russiam scopare soliti, direptioni Ciuitatis inhiabant, circa illam castraque Turcica excubias agentes; sed quoniam.

*Non aries illis non vlla est machina belli,*
*Haud fossas implere valent vel scandere muros,*
*Pugna leuis, bellumq; fugax, turmaq; vagantes,*
*Et melior cessisse loco, quam pellere miles.*

Proinde quàmprimùm Turcorum animos ad pacta ineunda propensos, subodorati essent; ne vacuis manibus [ quod apud eos capitale est ] in Tauricam redirent; licen-

tiam Prōuincias Regni rapinis, cædibus, incendijs, perpopulandi à Regulo ſuo petierunt. At ille proſperam Lauernam illis imprecatus Soltanum Muradinum excurſionis huius Antiſtitem, cum viginti Soltanellis Primoribus præfecit; vtque cum ſpolijs opimis, Lunâ plenâ ad ſe redirent, præcepit. Quod vbi per Contubernia hoſtium fama diſtulit: Tartaros anniuerſarios Regni euiſceratores, prædatum ituros; multi Turcarum, Moldauorum, Coſacorum, inediâ diuturnâ enecti, vel ſpe ſpoliorum illecti, ſecuti ſunt eos; vt prædatoria illa manus, centena millia efficeret. Omnes itaque poſt ſuperatum Sanum natatu, in viginti agmina diſtincti, vniuerſos agros, oppidaque immunita vltra Iaroslauiam, Premysliam, Zamoſcium, Sczebrzeſinum, Tarnogrodum, conſiſtentia, plagijs euaſtârunt, cædibus funeſtauerunt, flammis inuoluerunt, Ruſculis etiam, prædioliſque procaſtricis, buſta ſua voluminibus fumi in ſublime elati deplorantibus.

Quamprimùm dies lytri exoluendi illuxit, duo Quæſtores Turcici Teſteder, Niſangiet, ambo Acherontici Senes, vnà cum Batyraga Cyclopici aſpectus Tartaro, equis vrbem aduecti ſunt. Iſtis Oeconomi Ciuiles [more gentis] varia tragemmata, cum tabifico tabaco appoſuerunt. Cuius fætido nidore, tubulis attracto, octogenarij Capriones aſsiduè cerebrum ſuffumigabant. Tartarus vero numiſmata computans, ne eroſus argenteis intercalaretur expendebat. Poſtquam autem non integram Myriadem aſsium, prout ſperauerant; ſed dimidio minorem præſentari comperiſſent; omnes Ciuibus Græca fide ſecum, maligneque procedentibus acriter incuſatis, ad Archontes ſuos negotium totum recipere volebant. Verùm opportunè

Morſti-

Morſtinus,& Konarzeuius,cum Soltanico Aga ád eundem conſeſſum ſuperuenerunt. Tranſactum eſſe inter partes, palàm referentes; vt ab obſeſsis ſumma quantacunque reciperetur; in reliqua duodenos primæ claſsis incolas pignori darent. Pactio hæc,perLegatos de Ciuibus hoſti mancipandis ſeorſim facta,ſummoperè Ciues perculit. Actum de ſe in occulto muſsitantibus, & euitatâ Charybdi in ſcyllam coniectos ſe querulantibus; quandò Reſpublica propugnatores ſecuritatis ſuæ, pace circumuentos, velut aſinos olitoris,coriarijs in noxam dedere non recuſet: per latera ſua Regnum toties petitum,in vnaque defenſa Léòpoli, omnes circumiacentes Prouincias defenſas eſſe neminem ambigere; nunc locò niceteriorum boias, & pro laureis compedes ſibi rependi. Reſumendam potiùs hòſtilitatem, & in oculisLegatorum virtutis ſuæ teſtem, experimentum glorioſius facturos; quàm ſeruiliter ſub iugum Turcicum ituros. Querelæ huiuſmodi Ciuium,deditionem vnius etiam contribulis ſui facere abnuentium, vbi ad aures Pàcificatorum delatæ fuiſſent; Secretarios ſuperiùs recenſitos, oratum tribus vrbanas miſerunt, quatenùs ſæuienti fortunæ, vanas ſine viribus iras ſubmitterent, vnamque decuriam cuiuſmodicunque Ciuium Reipublicæ periclitanti condonarent; taliqúe auctario, ad cumulum præteritorum meritorum addito, immunitates, vacationeſque onerum publicorum ab Ordinibus Regni conſequerentur. Aduersùm que vernacula multitudo inconditis clamoribus obgannire, promiſſa dapſilia in faciem facta aſpernari; denique pro delictis Superiorum,immeritò ſe ad pænas trahi vociferabatur. Porrò Conſules nonignari, plebem exemplis magis, quàm præceptis ad ardua quæque impelli; capita ſua

semel Patriæ deuota, nexui etiam Turcicó subdituros se declararûnt; dummodò Religio Orthodoxa, penetralia Diuorum, salus populi, integritas Regni, sarta, tectaq; conseruentur. Verùm secundi ordinis Tribuni, promptitudinem hanc Consulum, deuotionibus Curcij, Decij, Poplicolæque parem, primùm collaudarûnt, mox eidem intercesserunt. Impium esse dicentes, columina Vrbis, quorum consilijs res perditæ Ciuitatis restitutæ sunt, in Pontum relegare; ipsissimosque Patres Patriæ barbaris prodere; consentaneum autem esse, vt ictum tam caris capitibus intentatum, manus interpositæ excipiant; nempè viceConsularium Virorum, imæ cæræ inquilini aliorùm deportentur. Nondum dicendi finem fecerant, ecce tibi vnus illorum, Andreas Szymonowicz, Doctor Medicinæ, face mentis honestæ succensus, charitatem Patriæ omnibus commoditatibus domesticis præferens, in voluntarium exilium iturũ se spopondit. Exemplo illius Ioannes quoq; Studnicki, eiusdem subsellij Assessor, [ causaria missione ob ætatem ingrauescentem ipse obtentâ ) Filium suum adhuc in prætextâ dignum togâ iuuenem, locò sui substituit. Cùm verò ex minoribus, Tribunis, nemo nomen prioribus spontè addere vellet; delectu viritim instituto, Andreas Dobricius, cùm Eduardo Nencke Poloni; Gabriel Nicolai Bernatouicius, & Iacobus Iaskieuicius Armeni; Stephanus LaurySzewicz, cum Petro Affendik Rutheni; & duo sine nomine verpi, arraboni futuro designati, viaticoque necessario instructi sunt. Comitatui hùic appendicem addidit, Ioannes Czechucki, cognominem sibi Filium supernumerarium quidem, sed itinerantibus necessarium, vt pote Medicinæ Doctorem.

5. Octo-

*5. Octobris.* Postridie eius diei; postquam præfati obsides longum vale Parentibus alij, quidam Coniugibus, nunnulli domesticis, Vniuersi autem municipibus suis dixissent; frequenti coronâ Ciuium, prosperum itum, reditumque illis apprecantium cincti, ad Ephoros Regios deducti sunt; quos illi Antistiti hostium, velut hostias succedaneas, saluti publicæ immolandas, præsentauerunt. Hic verò oculis toruis curiosè lustratos, nomenclatori suo in tabulas referre mandauit; deindè Ianisarorum Præfecto in custodiam dedit. Et Christiani quidem necesitate pro virtute vsi, pronis pedibus in Sententiam superiorum iuerunt. At recutiti, ex cryptis quibus se illatebrauerant, per apparitores vrbicos extracti, necnisi obtortis ceruicibus in ergastula Turcica detrusi sunt.

Ijdem Ductores obsidum, scena priori peracta, locò Epilogi, Tygranem Pasza æternùm saluere, valereque iusserunt; eundem quoque venerationis cultum, Regulo Tartarorum exhibuerunt; optantes ambobus, vt quamprimùm è finibus Regni abirent, neque vnquam postea redirent. Porrò nasutiores Ciuium, ad statiua etiam proditoris Patriæ, & animæ suæ, Doroszenkonis è via diuerterunt, specie valedicentium, animum eius sub vulpe latentem introspecturi; ante omnia preces se à Propolitanis attulisse dixerunt, rogantes; vt pro innata humanitate, lignatores suos ædificiis flammas semiustis subdere prohiberet; subindè consuetudini inter hospites receptæ morem gerentes, animas quoque Cosacicas in sicco non libenter habitare scientes; obbam Vini caustici ei obtulerunt. Quo autem faciliùs gladium in nigris præcordijs eius latentem prospicerent, poculo decumano ad Amystidem

ſtidem illum próuocârunt. Neque enim óblatam potionem, ſanguinariæ ſuæ timens animæ, primis labris attingere voluit; antequam ei prælibaretur. Tum demum, ſimulatâ reuerentiâ, quam exuerat, cùm vnum Cyathum Regiæ, alterum Imperatoriæ ſaluti propinâſſet, antiquam ranarum cæpit decantare querelam, incuſantium Ciconias pro roſtris ſuis perorantes, & de corijs ranunculorum Comitia perpetim agentes; quod ab eo vtcunque acceptum. Quamprimùm autem magnitudinem Procerum Regni allatrare cæpiſſet, ingratas auribus auſcultantium caninas eiuſmodi cantilenas eſſe aduertens; ad encomia Ciuium ſermonem flexit. Turci inquiens ſine ſudore, Cameneco potiti, Léopolim quoque eadem ſpe deuorauerant, iamque manubias eius in anteceſſum cum Tartaris partiti ſunt. Poſt direptam, vel deditam Léòpolim, Cracouiam, etiam Lublinum, Varſauiam, ipſaſque Balthico mari Vrbes aſsidentes ſomniabant, pontes ſibi ad eas èruinis Camenecenſibus ſtruentes, verùm vbi in arenam ad manus veniſſent, vixque oculis ſuis credentes, Léopolim duplici muro, foſſaque circummœnitam vidiſſent; ex aſsiduis autem machinarum currulium exploſionibus, frequentiam defenſorum, fiſtularumque manualium collegiſſent. Ianiſſaros quoque nonniſi quater mille in numerato haberent, aggreſsionem non auſi, aſsidere tantiſper vrbi ſtatuerant; donec cuniculis ſubruerent eam, vel globis feruefactis inflammarent. Quod vtrumque vbi non ſucceſſit, exploratores autem illorum, totam propè Poloniam, citra Lublinum armatam, ſuppetias obſeſsis prope diem venturam affirmarent; & quod cardo rei, ſcytharum agmina, Turcici exercitûs columina, ad prædas pagatim

agen-

agendas dilaberentur. Kaplan Pasza auribus lupum diutiùs tenere nolens, facilem se in fœdere percutiendo, lytroque paciscendo præstitit; multò faciliorem Legatos vestros eundem habituros, si consilia sua tempori accommodâssent; vtcunque autem facta sunt, profectò vnam Leòpolim, res perditas Regni nunc, & alias restituisse, neminem negare posse. Dignam ideò omnium Ordinum fauore, vberiorique quàm hactenùs remuneratione. Plura crocitare parantem, Commilitones eius capti nidore popinæ, interuentu suo præpediuerunt. Ciues quoque vt molesto contubernio latronum sese quàmprimùm subducerent, mentem Saniorem in corpore sano, Cosacis apprecati, cursim abierunt. Abeuntibus Misotheus potiùs, quàm Dorotheus ille vocandus, Christigerulæ Virginis Matris imaginem è captiuitate Scythica vti referebat vindicatam, dono dedit, tota facie cicatricosam solo titulo Slauonice inscripto venerandam; post partum Virgo Diua, post mortem Mater Viua.

*6. Octobris.* Hucusque Leòpolis conclamatâ, omnibus animam agere videbatur; hodiè primùm Spiritum, vitamque recepit; quo Turcos receptui canere audiuit, castraq; retrò mouere conspexit, Adhuc, enim dubia luce tympano tubæ, liticinesque striduli, tesseram vasorum colligendorum, albescente autem die, labarum è prætoriano tabernaculo prolatum, profectionis signum dederunt. Præmissis igitur cohortibus exploratorijs, in primo agmine fulmineæ machinæ maiores octo, minores duodecim, multo hominũ, bubalorumque labore trahebantur; Pone hos, cameli, muli, asini sarcinarij gregatim ibant. Hos Ianisari concaternati sequebantur. Istorum tergis equites pilani, densis ve-

xillis

xillis discreti imminebant. Valachi, Moldaui, Cosaci, latera, Tartari terga abeuntium custodiebant. Quorum postremi omnium pessimi, Ædiculam durateam, Principibus Apostolorum in ipso margine suburbij positam, succenderunt. Indicem discessus sui pyrâ huiusmodi conterraneis sursùm versùm palantibus dantes. At Ciues tantisper à malis genijs insessi, nunc demùm liberati, alij domicilia Diuorum Tutelarium gratantes, ouantesque compleuêre; animas suas, sicut passeres de laqueis venantium ereptas; laqueos contritos, se verò in libertatem dextera Domini assertos, cùm Vate Regio decantantes. Iuniores autem superatis cacuminibus collium eminentium, quantum acie oculorum pertingere poterant, terga hostium persequebantur. Egentissimi quique mendicabulis circumforaneis immisti, in ipsa statiua hostium inuolantes, tuguria, Macellaque relicta diripiebant. Bustuarij autem Sepulchreta Turcica scrutati, è rancidis morticinijs illorum, sindones, linteaminaque detracta sibi aptabant. Cæterùm qualem vastitatem Ciuitati, hostilis manus inferre nitebatur; in tugurijs Summœnianis ad vivum expressit. Ruta illic, cæsaque omnia, ædes sacræ in stabula equina, mansionesq; camelinas, asinariasque versæ. Ex Andronibus, Parthenonibusque religiosis, consistoria omnis turpitudinis facta; ipsa altaria diruta, sessibula semiusta, corpora fidelium loculis mota, canibusque ad laniandum relicta, statuæ Diuorum varijs contumelijs, ludibrijsque dictu infandis affectæ, priuatorum domus pars solo æquatæ, pars igni datæ, prorsùs à capite ad calcem in vtroque suburbio nihil sani, saluiq; relictum, omnia pessundata, & proprijs cineribus sepulta. Sola Ciuitas per tres obsidiones oculis non manibus hosti-

um

um contrectata. fauore Cæli propitij, velut Virgò illibata, permansit; vt sine iniuria, Flauiæ acroama, per Scaligerum scriptum arrogare sibi possit.

*Cælituum Patria est, cælum cui militat omne,*
*Vrbsq; Dei pro qua dimicat ipse Deus.*

Vt enim candidè fatear, cumprimùm molem exercitûs Turcici, apparatum castrensem, gentes auxiliares in conspectum Vrbis venisse vidimus; reliquias autẽ Ciuium numero modicas, animo nutantes, circũspeximus, re exactiùs pensiculatâ; nec Viris, nec viribus æquis, defensionem Vrbis nos suscepisse iudicauimus; mox vbi barbari frænis furori suo laxatis, incessanter tormentis tonare, è mortarijs fulgurare, fossas ducere, mœnia subruere, assultum adornare cœpissẽt; multi non tantùm è vulgo phanatico, sed etiam armorũ periti, vitreis suis capitib9 à grãdine Turcica timẽtes, vanam sine viribus audaciã, Rectorum Vrbis sugillabant; illisque inuitis deditionem se facturos, secretis sermonibus iactabant; palàm vociferantes, Ordines Regni ad arma, conuocatos, & vix tridui itinere circa Lublinum degentes, Leòpolim deploratam sine vllis depulsorijs copijs, arbitrio fortunæ, fatisque permisisse; supra vires reputantes, Vrbeculam derelictam, è faucibus Draconis Regna integra deuorantis se erepturos; quapropter obsessi ab omnib9 depositi, omnique spe auxiliorum aliundè venturorum euoluti; quoniam maioribus animis, quàm viribus Patriam sibi cum Diuis communem tuendam sumpserant; ad euocanda Cælituum subsidia, altaria ipsorum, ipsamquè aram, indigentium glomeratim obsidentes, tamdiù supplicibus gemitibus aures Diuinas pulsarûnt; donec eundem præmiatorem obsequij etiam minimi, nomini suo exhibiti, ad

talionem prouocâssent; vt defensorum honoris sui defensionem susciperet. De cælo itaque acriùs, quàm è vallo contra barbaros dimicatum est; nam cùm globi vrbici aliquot denos Turcarum confecissent, terror Diuinitùs immissus, hostium animos ita consternauit; vt fugæ non absimilem receptum fecerint. post quorum recessum, quidam Ciuium metu exoluti, maximè verò proletarij, acerba collatione assium in redimias Ciuitatis emuncti, turbidos sustulerant animos; per triuia primùm secretò, deindè per circulos palàm quiritantes. Quotam partem Ciuiùm in tanto discrimine Ciuitatis, pro salute eius decertâsse. Quotenos ad præsens delubra Deorum, penates profugorum, totiusq; Ciuitatis excidium vltimis fortunis vindicare; binos tantùm Consules grandæuos, iamque ob ætatem rudem emeritos, Dijs Patrijs capita sua deuouisse; reliquos annis, viribusque integros, ad transvistulanas Prouincias abijsse, exemploque suo potissimam partem Ciuium, præcipuè iaculatorum; mechanicos autem, & mediastinos ferè omnes secum pertraxisse. Iamque illos in portu securitatis dies albos agere; nostrum, Patriæque interitum eminùs exspectare; se verò per singula momenta fatis vltimis obluctantes, singulis horis animas agere; adhucne leres illorum; cuicunque casui relicti, capitibus hucusque defensi, peculio paupertinorum à direptione hostili redimentur? & non potiùs bona primò occupanti derelicta, per Sectores publicata, in placamentum hostibus, stipendium præsidiarijs cedent? ipsi autem desertores Patriæ, suique patriciatus fugitiui, tribu moti, fascibus, sellis, trabeis exuti, inter Cælites referentur? talis Vrbanæ factio sæua togæ, quoniam latiùs inter municipes gliscere cœperat; ne vniuersos cor-

riperet

riperet, moderator Vrbis publicum Prætorium indixit; in eiusque conuentu patheticè disseruit; priuatos Ciues, in absentes Contribules nullum ius, nullamque potestatem condemnandi habere, neminemque ex eis capite parem sibi diminuere, aut Consulares Viros inter ærarios redigere posse. Quare vt ab antiquandis nouandisque Magistratibus abstinerent; neque in Conciues suos sæuirent, quin potiùs ipsi ex ore Leonis erepti, debita gratitudinis obsequia Deo liberatori impenderent; ne tam insigne beneficium Diuinum, perforato animo haurientes, indignationem dispensatoris Euangelici multorum talentorum rei, conseruum autem suum ob aliquot æra minuta suffocantis iucurrerent, amicè adhortatus est; Verùm cùm seditio inconditis clamoribus parænesim eiusmodi intercepisset, neque plura loqui volentem permisisset; Præconsul fine dicendi imposito consilium dimisit. Nec ita diu postalter Consulum Ioannes Anserides, ad factiosos rediјt transijt, caputque suum vulgò acephalo addens, ex vna Ciuitate bicipitem fecit. Subindè secesѕione aperta à Præconsule facta, in seorsiuo conclaui perniciosa consilia coquentes, manifesta phrenesi correptos se ostenderunt; dùm more lymphatorum, manus violentas Medicis intentantium, in locum Præconsulis legitimi [quia cum insanientibus insanire noluit) subdititium Ioannem Sommer supposuerunt. Eodemque impetu abortivum prætorem, Notariumque demotis cerebris suis produxerunt. Candidatos ad subsellia Consularia, quasi vacantia, tumultuariè recensuerunt; aliosque vitiosos Officiales, populari licentia potiùs; quàm Iure concesso raptim creârunt. Quæ deliria illorum, vt edicto basilico firmarentur, publicas preces ad Curiam expediuerunt; verùm

Princeps, commenta furiosorum subscribere, infra Maiestatem suam habuit; à quo repulsam pati, telas aranearum texuisse se intellexerunt. Interim Præconsul clauum nauis Vrbanæ, per se è decumanis fluctibus in portum subductæ neminem sibi extorquere permittens; compedes phreneticis comminatus, excubitores, stationariosque ad munia sueta redire coegit; absentibus autem Collegis, technas & fabas, quascunque malè feriati Contribules, in capita illorum cudissent, scripto ad notitiam deduxit; tamdiuque gubernaculum Ciuitatis retinuit, donec Assessores suos reduces, Regio diplomate dignationibus pristinis restitutos, in Vrbem primò, deindè in Curiam manuduxisset. Cui quidem Proconsuli, eidemque armaturæ Ciuilis Rectori, antequam Magistratu vtroque abiret, Primores Ciuium, ob Ciuitatem ab externo, internoque hoste seruatam, & Rempublicam pace belloque benè gestam, pleno modio verborum gratias referentes; pro adoreis, & sumptibus omnibus, in tanta angustia rerum, Præturam in annum subsequentem contulerunt. At ille gratantium vocibus obrutus, propalàm contestatus est; non suis, neque alterius hominis viribus, aut consilijs, Léòpolim ê manu Asiatici Tyranni [ cui ad deuorandum exposita fuerat ) ereptam esse; sed dexterâ Domini, eiusque Ancillæ Anciliorum Christianorum Promecondæ, peculiari intercessione, ex ipso limine mortis ad vitam reuocatam: proinde his solis, & se quotidianas gratias, quamdiù vita suppetet habiturum; quod suo sub regimine Léòpolim Diuorum, hominumque Patriam communem, subiugum Othomanicum venire non permiserint. Similiter & Léòpolis, vt ijsdem Patronis vindicias suas acceptas referret, statuitque ferijs diem eliberationis suæ quotannis celebraret.

braret; cohortatus est. Quod quidem Ciues in se, posterosque suos non grauati receperunt: præserti oculis suis, manibusque palpantes, tam crebra Diuinæ clementiæ miracula Léopoli patrata; nec modò primùm, sed iuxta numerum trium collium quondam à Rege sacrorum pro stemmate illi donatorum, in ternis grauissimis obsidionibus triplicata, adeò; vt prodigia bonitatis Diuinæ alibi peregrinari, hîc hospitari; aliorsùm riuos deriuare, hìc fontem perennem aperuisse videantur; de cuius plenitudine scatebræ emicantes, totam Poloniam non rarò inundârunt. Præteritis quidem annis, si quis mihi domestico testi fidem negauerit, Gygantomachiam Kordecij, Reginam Podoliæ Krasuscij, externorumque scriptorum aduersaria adeat; in quibus omnes vno ore loquentes audiet, Serenissimum Ioannem Casimirum Regem Poloniæ, è Silesia, [ quò illum arma Suetica pepulerant ) reducem, cùm nullibi in Regno tutam stationem inueniret, Léopolim venisse. Ibidemque ante aram Hodogetriæ MARIÆ VIRGINIS, diademate sceptroque depositis, sollenne Sacramentum dixisse. Quo eandem Reginam Poloniæ noncupauerat, eiusque clientelæ se, Regnumque suum subiecerat. Quam nuncupationem, subiectionemque à Deipara Virgine acceptam, fax supra altare eius nemine impellente extincta, iterùmque per se ipsam reaccensa, prodigioso signo demonstrauit. Nec mora post Votum eiusmodi emissum, fortunam Regni intermortuam, subitò vitæ redditam, in vltionem sui validiùs consurrexisse. Mox Victoribus victis, è solio suo iniquum possessorem deturbâsse, illudque Regi suo pacatum restituisse. Quæ omnia floridus ille Cantor MARIÆ, Lyricis pedibus prosequitur; ex Octonisque cladibus Suecorum, totidem trophæa armis,

signisq;

signisque Mariomastygiorũ coruscantia, Stephanum Czarnecium fulminatorem Polonicum retulisse, illaque Matri castrorum MARIÆ consecrâsse memorat. Cui si fidem nondùm adhibuerimus, oculis saltem nostris adhibeamus; quibus non sine lachrijmis vidimus, omnes Ciuitates Regni etiam primarias, in manus Suecorum, Transyluanorum, Cosacorum, aliorumque minoris notæ hostium venisse; solam & vnicam Léòpolim, segregatam à Vulgo, ter à præualidis, numerosisque hostibus, oppugnatam, ter singulari prouidentiâ Numinis defensam, nec ipsis quidem domitoribus Orbis Turcis, copiam sui fecisse; Verùm tanquam pupillam oculi intactam permansisse; elogiumque illud Póètæ Cordubensis promeruisse.

*Iam satis hoc nostræ memorandum contigit Vrbi,*
*Æternumq; decus; quod non impulsa, nec ipso*
*Strata metu, tenuit flagrantis in omnia belli*
*Præcipitem cursum, ceu murus aheneus obstans.*

In cuius penetralibus, votum Regium publicè emissum; quoniam præfati authores originem & fontem felicitatis Polonæ fuisse affirmant; nec hucùsque eundem exaruisse, quinimò copioso domesticorum sudore, hostiumque cruore exundâsse conspeximus Quamprimùm enim Léòpolis portas per obsidionem clausas patefecisset, fortuna campi Domina foras per eas egressa ad arma conclamauit; suoque clasßico, copijs Polonicis animum pugnandi, hostibus fugiendi, indidit. Tum verò supremus Exercituum Regni Imperator, coacto in vnum corpus milite, Turcorum, Tartarorum, Moldauorum, Cosacorumque cuneos; plagia, prædasque per Submontanas regiones [ vti memoraui agentes, animosè aggressus; multos illorum prælium ausos ceciclit,

cidit, plurimos lixabundos in vincula coniecit, reliquos captiuis corporibus, scrutisque prouinciatim raptis impeditos; magisque spolijs, quàm pugnæ intentos, manubijs exuit, pedibus quærere salutem compulit; dissipatosque per compita, & saltus, rusticanis mactandos obiecit. Etenim Nonarum, Iduumque Octobrium singuli deni dies, singularibus cladibus hostium nobilitati sunt; ex quibus aliquot Nobiliores delibabo, reliquis ad Creditores annalium Polonicorum amandatis.

*6. Octobris.* Et quidem pridie Nonarum Octobrium, cæptâ Ice in fruticeto Oppidi *Krasnobrod*, Batyzir, Murza, cum suo manipulo funditùs profligatus, Sachrymir Murza in Vincula datus, Abus Murza pernicitate equi elapsus. A meridie autem inter confluentem Sani, & Porci fluminis, Temikarsy Murza, cum duabus equestribus legiunculis acie fusus, plurimos ex suis amnibus efusis haustos, ferro truncatos, in manus victorum datos amisit; impedimenta, omnia hostium, armentorumque greges pagatim abactos, primò occupanti reliquit, ægrè ipse cum aliquot circumpedibus volucri equo in tutum euasit.

*Nonis Octobris.* Maior cædes grassatoribus illata, namque præfectus Vigilum à Lubaczow, Łazinski Tribunus Militum à Cieszanow Tartaros cum spolijs redeuntes, ferro occupârunt; primoque impetu turmas eorum manubijs onustas, quoquò versùm difflarûnt, aliquot millibus vinctorum in libertatem assertis. Porrò ipse Imperator exercitus, postremum agmen Dziambet Gierey cis Horinium assecutus, post breuem conflictum terga vertere, exuuias abycere, campo cedere coegit. Multi ex ijs in vulneribus suis sepulti, plurimi in potestatem Victorum venerunt; vniuersi

autem

autem aſpectu Polonorum faſcinati, Euro ocijores, quò pauor quemque tulit diffugêre. Ductor ipſe agminis, vltimus in prælio, primus in fuga pugnantibus tergum obuertit. Tohay Murza è fuga retractus, captiuorum tota myrias vinculis exempta eſt.

*8. Octobris.* Poſterus Nonarum dies Venationi hoſtium, heſterna ſtrage diſperſorum, per arbuſta, carrectaque latitantium; necnon conquiſitioni puerorũ à Tartaris derelictorum, paſsimque per triuia errantium data; reliquum diei, cadaueribus captiuorum à fugientibus barbaris mactatotum funerandis impenſum eſt. Septimus Iduum dies, candido Polonis, atro ſignandus lapillo Tartaris illuxit. Quo iuſſu Muradini vice Ductoris ſui, Komarno Oppidum pedites aggreſſuri, acie circulari cinxerant. Mox conſpectis Antecurſorum equitatus Polonici turmis, obuiam ſibi tendentibus, rati excurſionem Oppidanam eſſe, cum truci barritu in occurſum illius ferebantur. At poſtquam Aquilæ Polonicæ, collibus ſuperatis effulſerunt; buccinæque militares cum tympanis raucum concrepuêre; ſubito terrore perculſi, velut fulminis ictu diſperſi ſunt; tum verò Victores fugientium tergis inhærentes, in multam noctem promiſcuis cædibus ad ſatietatem ſeſe explebant. Hoſtes autem metu futuri periculi in præſentanea pericula ruentes, dum pleriquè illorum ſtagnum proximum nando ſuperare nituntur, à gurgitibus ſuperati ſunt. Nonnulli voraginibus prærupti aggeris abſorpti, maxima pars per agros ſparſi, dùm ſinguli dilabuntur, vniuerſi comprehenſi vel cæſi ſunt, pauci pernici fugâ præſenti exitio ſeſe ſubduxerunt; inter captiuos ſupra Turcos, & Tartaros, etiam Coſaci bipedum peſſimi, recenſiti ſunt; quorum aſtutiores abiectis ſclopetis,

penicu-

peiculisque capitum euulsis, vel præsectis, intra manci-pia capta, occidionem euitare volebant. Verùm lupi sub pellibus ovium, indicio aliorum compeditorum proditi, sine vlla commiseratione trucidati sunt. Primores Turcorum, Tartarorumque in omnem casum reseruati; pecus bucerum, equitiumque manubiale, militibus iure Victoriæ cessit.

*14. Octobris.* Pridie Iduum Octobrium, Tartari diuersis in locis profligati, quod optimum factu putabant, in Vnum agmen Adzigerey, & Muradini satraparum conuolauerunt eo consilio; vt euitatis campestribus, per saltum Bednarouicianum in Moldauiam penetrarent. Mox saltum eundem densâ concæde arborum implicatum inuenientes, Petrankam præteruecti, Kałusam evadere statuerant; Verùm Prouidus Imperator, hesterna adhuc die, excitis Rusticanis, vt transitus syluestres obsiderent; ipse quoque per lacunosas, salebrosasque semitas tempestiuè, traductis copijs, hostibus à fronte occurrit. Vbi initio paucitate occurrentium Tartari contemptâ, contra eos tendere neruos, & quo ferre velint permittere vulnera ventis cæperant, postquam autem signa Polonica densis horrentia pilis apparuerunt, buccinæque classicum cecinerunt, perituros prudentia prima reliquit; segniùs enim consilium, quod antea damnauerant, in insidias sese spontè præcipitauerunt. Quoniam syluam per se confragosam, iam agrestes sudibus, falcibusque armati insederant; omnesque exitus illius infestos tenebant; à tergo autem.

*Sanguineum manibus quatiens Bellona flagellum,*

Cum vltricibus copijs Polonorum fugientibus instabat. Hîc Tartari inter sacrum Saxumque positi, vt exitium evita-

rent, perniciem sibi accelerârunt. Cum enim cuneo facto aciêm Polonicam perfringere, pluresque glomeratim euadere potuissent; laxatis Ordinibus viritim fugam capessiuerunt. Subindè alij sarcinis abiectis, qua data porta ruêre. Quidam ex equitibus pedites facti, in arbores præaltas conniti. Alij in dumetis, & senticetis quærere latebras, omnes auté in pedib9 inermib9 spē salutis reponentes, ipsi sese profligârunt, & propè vinctos victoribus tradiderunt. Vniuersi enim à caluo ad caluum fugati, cæsi, captique sunt; signa Soltanica in manus Victorum venerunt, spolia omnia excussa, captiui supra decies mille pileis donati, campi vicini, Syluæque anfractus tabo hostium infecti, & cadaueribus strati. Nunquàm aliàs post Stephanum Chmielecium, malleum barbarorum, clades maior Tartaris supra hanc illata est; quâ funditùs quotquot erant, deleti sunt. Hæc ego extra Léòpolim acta, eo fine recensui; vt non Pòëticis commentis, sed indice admoto indigitarem, manifestum Diuinæ Clementiæ argumentum Ciuitati exhibitum, & in eliberatione eius à pressura hostium, & in hostibus qui eam premebant puniendis.

Etenim. *Turca potens, Dacusq; ferox, Cosaciq; cruenti,*

*Qui facere in iugulos nostros sibi Iura valebant;*

Ipsi succidaneæ victimæ pro nobis facti, iugulos victoribus, pænas nobis dederunt. Quamobrem, tam crebra propitij Numinis beneficia, toties sibi præstita, Léòpolis 1673 prono animo exosculata, inter publicas gratiarum actiones Deo quondam in carne, nunc in pane abscondito redditas, nouum diem festum fastis suis addidit, illumque quotannis cum Nepotibus suis post futuris, gratis recordationibus celebraturam se spopondit. Mox anno vertente, per templa

Sacri-

Sacrificijs Eucharisticis, supplicationibus propitiatorijs; in Circo autem, Organicis modulatisque melodijs, festis ignibus, ludicris decursionibus, alijsque publicis Hilarijs celebrauit; Neue postgenitos celebritatis huius obliuio vnquã caperet, Elogio per me composito, per Aediles suos in arcu Prætoriano trabalibus literis exarato, anniuersarium eius signauit.

*Dies venit, venit dies,*
*quæ de comedente cibus, de forti dulcedo egressa,*
*vetus problema recenti illustrauit exemplo;*
*postquam fatis suis toties superstes Leòpolis*
*à Turcis, Tartaris, Cosacis, Moldauis,*
*arctissimè obsessa, acerrimè oppugnata,*
*iamq; ab omnibus conclamata,*
*Regum Regis miseratione,*
*Cælitum Reginæ intercessione,*
*Diui Michaelis Archangeli manu*
*ex ore Draconis Asiatici erepta,*
*sibiq; postliminio reddita,*
*dulcedine pacis fruitur.*
*quid hoc melle dulcius?*
*quid isto Leone fortius?*
*& hæc super omnia.*
QVIS VT DEVS?
*eiusq; Militiæ Princeps Michael?*
*qui vt olim Lesconi aduersus Litauos,*
*ita nunc Serenissimo Michaeli Regi Poloniæ,*

*Homonymo suo contra barbaros suppetias veniẽs;*
*in vna Leòpoli, omnes Vrbes Regni tutatus,*
*victores Orbis à portis Vrbis inuictæ,*
*ipso strepitu armorum,*
*quæcumq; habent armamentaria Cæli,*
*inglorios retrò egit,*
*cui in hostimentum tot gratiarum,*
*grata Leòpolis,*
*seipsam in trophæum obtulit,*
*diem eius anniuersariũ inter triumphales retulit.*

Anno, 1674.

Eleutheria eiusmodi Leòpoli celebrata, cordi Deo, eiusque Matri fuisse, breui subsequens nouum,& nunquam ante in orbe Polono auditum prodigium palàm fecit. Quippè anno superiore Tartaris in recenti [ vt aiunt ] crimine castigatis, Turci violatæ fidei, periurijque rei impunè hucusque agebant. Quinimò Christianorum Deum, flagitijs suis in vtramque aurem obdormire, blasphemis sermonibus iactactabant; Atqui virgam iustitiæ Diuinæ vigilare, oculosque eius conniuere in tempus; nunquam autem obdormire; annus præsens ostendit. Quo Polonicus exercitus, florem & robur militiæ Turcicæ ad Chocimum stirpitùs excidit, & quasi triginta millia hostium vnam ceruicem haberent, omnes vno ictu confecit. Quodque miraculo propius, exiguo suorum, maximo aduersariorum damno, vt millena capita barbarorum, singula Christianorum pensarent. Tunc si quando virtus Polonica, Orbi Christiano se probauit; dùm alij eiusdem Matris Ecclesiæ filij, de vmbris asini-

nis

nis secum pertragædiarent, alij quod dictu fædum, fædera à barbaris auro emercarentur; contumelias autem Christo, eiusque sequacibus illatas, nullius pensi haberent; solos, & vnicos Polonos, militiæ Christi, nomina dedisse, solos pro gloria Crucis, cum osoribus Crucis in arenam descendisse, ex iisque Victoriam palmarem obtinuisse. Cuius non minimam partem Leòpolis, quamuis extra pomæria sua obtentæ, ex eo sibi vendicat; quia Serenissimus Michael Rex Poloniæ, festinatò ad eam veniens, velut aquila magnarũ alarum, pullos, Mauortios ad promptius conuolandum, exemplo suo prouocauit. Vndè in Castra sub Gliniany posita eas manuduxit. Indè verò auspicijs suis animatos, non sine lacrymis & suspirijs dimisit, & tanquam Martium Spiritum illis inspirâsset, ipse post aliquot dies expirauit. Reuersus enim Leòpolim, dùm publicè incolumitatem exercitus, per omnia adyta Diuorum superis commendaret; priuatim verò ad placandam Maiestatem Diuinam, Vigilijs, precibus, & lacrymis, ieiunia quotidiana pasceret, in morbum lethalem incidit; quem Regio animo exceptum, nonnisi in peruigilio prælij sub Chocimo gesti, cum vita finijt. Ad casum Regium Ciuitas perculsa sumptis lugubribus in squallore & mærore dui perstitit, donec pervulgata Victoria (quæ intra decursum vnius diei cum morte Regia euenerat) à Præconibus Verbi Diuini in spem meliorem erecta esset. Qui in concionibus, declamationibus suis asserere non dubitârunt; Serenissimũ Regem ad auxilia bellatoribus cælitùs impetranda sublimem abijsse, & post impetrata in cælesti Capitolio triumphum agere. Nihilominùs Leòpolis, magno sibi securitatē tã cari capitis damno cõstitisse, reputans; inter planctus & plausus, cupressos & lauros,

multos

multos dies atros egit; necnisi aduentu Illustrissimi Exercituum Regni Ducis recreata, de luctu concepto aliquamtulùm remisit. Cæterùm modesto ille satis comitatu è via Leòpolim diuertens, nullum apparatum triumphalem aduenienti sibi fieri permisit; cùm palàm fateretur, Dominum vniuersi pugnâsse & vicisse; se nonnisi manus illi cōmodâsse. Leòpolis tamen, vt benefactis eius saltem verbis responderet, quæ obsequijs soluere non posset, in frequenti Procerum Regni ad iudicia recuperatoria tum temporis congregatorum Panegyri Victoriam summorum Oratorum facundia dignam, ore meo gratulata est ei. Quam populariter dictam, latialem postea redditam hìc subycio.

Quod tantopere inter vota, & suspiria, à Regnatore omnium Deo optabamus magis, quàm sperabamus; vt conatus Turcarum per subiugatam Podoliam, pontem in vlteriorem Poloniam struere intendentium frustraretur. Istud benignitate propitij Numinis, tuaque Heroica virtute Illustrissime Domine, hisce diebus consecuti sumus; quibus Othomanicum exercitum, è triarijs, veteranisque in perniciem Regni armatum, ad internecionem fudisti; victoriamque ex inimicis Crucis Christi notabilem, in veterum, recentiumque temporum annalibus nunquàm memoratam retulisti. Quod quidem Diuinæ clementiæ miraculum per Te patratum, non modò amplissimos Regni huius Ordines, debitis præconijs, adoreisque prosecuturos confidimus; verùm etiam vniuersam Rempublicam Christianam in fastos æternitatis relaturam non dubitamus. Vt memoria prodigij huius nunquam apud posteritatē Christianā extenuetur. Porro & nos anno proximè exacto, ex ipsis faucibus eorundē, barbarorum erepti; hornò autē à tyrannide eorundem, vmbone

bone Clypei Tui gentilitij protecti, adprimum Nuntium Victoriæ partæ, omnes certatim ad puluinaria Diuorum cucurrimus, anteque aras illorum prostrati, Domino Exercituum gratum Pæana cecinimus. At quoniam Dijs thura, Heroibus epicinia deberi non ignoramus; dabis veniam Illustrissime Domine, in hoc publico omnium applausu, nobis in laudes Tuas presso passu euntibus, & ad decoratam ampli triũphi, nõnisi Verba tria conferẽtib9; quorũ aliquando summus Imperator Romanorum, inter pompæ fercula prætulit titulum; veni, vidi, vici. Nam & Tu Illustrissime Domine, in hoc agone stratiotico triduũ immoratus, primo die venisti, altero, vidisti, tertio vicisti. Nondũ enĩ totus Eercitus Polonicus, in vnum agmen conuenerat, vix copiæ M. D. L. signis Tuis adunatæ fuerant; Tu moræ impatiens, præcipiti in hiemen autumno, vias salebrosas, loca paludosa, ægrè eluctatus. Quo Tua Te virtus, & Progenitorum Tuorum Manes hucusque inulti vocabant, in hosticum venisti; cuius glebam cruore Lechico non semel tinctam, si quis pede fortiori pressisset; fortassis stillaret ater de puluere sanguis; Tu tamen per Cannas, Trasimenosque Dacicos, per busta maiorum exortus illorum ex ossibus vltor, in conspectum hostium uenisti. Et quamuis secuta die, Turcicum equitatum ad omnem belli aleam accinctum, nec modò armis, verùm etiam lorica terrea, machinis currulibus legionibusque fulminatricibus septum vidisses; priusque cum aggeribus quàm bellatoribus dimicandum esse iudicasses; nihilominùs quoniam exercitum tridui inedia confectum, assiduis Vigilijs fessum, diutiùs subsistere haud posse aduertisses; non ignarus perniciosiorem penuriam, quàm pugnam militibus esse; heroicum facinus ausus, aggressionem

Castro-

Caſtrorum hoſtilium in craſtinum decreuiſti. Tertio itaque die Diuo Martino quondam Militi, tum Commilitoni Tuo ſacro, copijs, equeſtribus pedeſtribusque in aciem eductis; haſtatarum turmarum robore, procellæ equeſtri Turcicæ oppoſito; omnibus autem ad prælium Martio Tuo ardore, inflammatis, hoſtem vallo, foſſaque præſidentem, manu militari velut indagine cinxiſti; ipſe pedes ante peditum cateruas ad oppugnationem præiuiſti, vnoque impetu velut fulminis ictu portis effractis, aggeribus ſuperatis, hoſtibus ad internecionem profligatis, munitionibus illorum occupatis, Victoriam ſine exemplo mirandam, triumphũ ſine exceptione memorandum obtinuiſti; ita vt ipſe limitaneus Tyras, Lechico ſudore, Turcico cruore tumidus, ſcuta, Tiaras, ſariſſas, aliaſque manubias hoſtiles, per Euxinum deferens, tantæ cladis nuntius apud maritimas Ciuitates, ipſamque Conſtantinopolim fuerit; quem vt ſupremo Dominatori, Diuiſque Indigetibus ex aſſe referres; poſt hymnũ Euchariſticum, in Prætoriano Purpurati tentorio, inter fulgorem manibiarum, clangorem tubarum. tonitrua machinarum, celeuſmata militum, trophæum ære perennius DEO, in animis hominum erexiſti. Diem feſtum Diui Martini, multò feſtiuiorem in poſterum reddidiſti. Ipſumque in album Tutelarium Poloniæ, ſanguine hoſtili tranſcripſiſti. Nomen autem auguſtum Diui Ioannis Homonymi Tui, Imperatorijs virtutibus auguſtius effeciſti. Namque vt verum fatear, quotquot Archiſtrategi Sarmatici, Nominis huius baiuli cum Turcis bella geſſerunt, ſingularibus, nec alijs conceſsis Victorijs potiti ſunt. Vt autem exteros miſſos faciam, Ioannem Capiſtranum, Hunniadem, Auſtriacum, ſoli domeſtici dictis meis fidem adſtruunt, Ioannes Tarnowſki ad

ſki ad

ski ad Obertinum, Ioannes Zamoyski sub Cecôra, Ioannes Carolus Chotkieuicz in hoc ipso loco Turcarum Domitores. Verùm vt cum venia tantorum bellatorum, in capitoliò cælesti iam triumphantium dicam quod sentio; tam breui compendio, adeò cælo propitio, tanta parsimonia Sanguinis Ciuilis, prodigentià hostilis, vna acie bellum multiplex cõficere, palmamque ex adeò præpotenti aduersario cælitùs delapsam obtinere; istud nemini præter Te datum est; hoc vnum præ cunctis fama loquitur opus supra quod nullius virtus altiùs ire potest. Longùm itaque Victoriâ tibi diuinitùs concessa fruêre, per eiùs lauream, ad capessendam auream contento passu procede, neque Patriæ, Tuisque fatis deesse velis. Quæ quoniam Rempublicam saluam fore statuerunt, Te vnum ad saluandam illam elegerunt. Nos verò supplices, Victoriæ tuæ istius minimos appendices, currum tuum triumphalem non Pileatos [ vt Romanis in more fuerat ] sed à quotidianis sectoribus stirpitùs depilatos, prout à vulturibus Asiaticis liberos fecisti; ita à vulturionibus domesticis elibera; neque pro munere Tuo Imperatorio permitte; Leòpolim totius Rusiæ propugnaculum, in mendicabulorum tugurium abire. Iam enim post enormia aliquot lytra, quotidianosque Acricones, plures quàm in Belgio in ea oberrant Geusij; & locò Bellatorum ære diruti Bellisarij. D. Martinus Contriumphator Tuus, in inopem in Porta Ambianensi, laciniâ pallij, simulque Christum togâ palmatâ amicuerat. Hoc idem Illustrissime Domine facturum Te spondemus, postquam Leonem nostratem ab Harpijs defloccatum, Scuto bonæ voluntatis Tuæ protexeris. Neque ampliùs opus erit Tibi trophæum aliquod [ quale olim Stanislaus Lubomirski, sub eodem Cho-

I cimo

cimo, votum in Wiſnicz erexerat] ſtatuere; præter hoc monimentum gratiarum ſæcularium, quod nos animis noſtris, nunquam intermorituris nomini tuo perenni inſcripturos pollicemur.

*Felices tua nos fecit Victoria Ciues.*

Verùm vt aliquando finem inueniat ſcripta mihi obſidio, locò coronidis, votiuum illi addo parergon. Toto tempore Vrbis obſeſſæ, nihil acriùs animum mihi fagitabat, quàm publica Chriſti fidelium exſecratio; ne ſi fortè Metropolis Ruſsiæ, me Præconſule in poteſtatem Othomanorum veniſſet; infauſto meo Vitimagiſtratui imputaretur; ideò præter humana ſubſidia, Diuina etiam ſuſpexi; quotidiè ante imaginem Ectypam MARIÆ Maioris (quam in lario domeſtico, tanquam Oecophylatem ædium reuerenter habeo] animam cum lachrymis effundens, Soſpitatricem perditorum deprecabar; vt per intaminata ortus ſui primordia (quorum memoriam Leòpolis, tota Octoade quotannis feſtiuiter recolere conſueuit] Patriam ſibi nobiſcum communem, in rapinam canum impudicorum abire non permitteret; nomen autem meum à diris ſacris vindicaret. Maioris autem auctoramenti gratiâ, Claues Portarum Vrbicarum ad pedes imaginis depoſueram. Poſtmodùm voti damnatus, more naufragorum, qui picta ſe tempeſtate tuentur; ſuper Iconem Tutelinæ meæ tabellam ſuſpendi, cum Eologio eiuſmodi:

*Magni Dei hominis, Magna Dei Parens,*
*magna Tibi fecit, qui potens eſt;*
*Tu mihi, quæ pia es.*
*Ille Te ab omni labe peccati præſeruatam,*

*In Ma-*

*in Matrem Filij sui ordinauit;*
*quo nihil diuiniùs Tibi præstare potuit.*
*Nam Uni secunda DEO facta es.*
*Tu me ab omni noxa hostili seruatum,*
*in seruum Tibi deuinctum mancipasti.*
*Quo nihil est mihi dignius, & accidere potuit.*
*Seruire enim Tibi regnare est,*
*quoniam verò seruus tuus; quidquid possideo Tuum est.*
*cum stylo meo vtroq;,*
*& quo Léopolim ab hostibus propugnabam,*
*& quo Ciuibus eandem delineabam,*
*omnia mea, Tua sunto,*
*insuper quotquot Ciues saluos mecum seruasti,*
*tot Ciuicas à Nobis accipe,*
*tot seruos suppedaneos habe.*